



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

KAIS.KÖN.HOF-



BIBLIOTHEK

72905-B

ALT-



72905-B.



*Dissertatio Juridicæ Inauguralis*  
178. D. iij. DE  
**POTESTATE**  
**PRINCIPIS**  
**IN SUBDITOS,**

Quam

Divina Favente clementia,  
AUTORITATE ET DECRETO  
MAGNIFICÆ ET AMPLISSIMÆ FACULTATIS  
JURIDICÆ,  
IN ILLUSTRI HAC ERNESTINA ACADEMIA,  
PRÆSIDE

**DN. HENR. ERN. KESTNERO,**

J. U. D. ejusdemque Professore Ordinario,  
Fautore ac Cognato suo ætatem colendo,

**PRO LICENTIA**

SUMMOS in utroque JURE HONORES ac PRIVILEGIA  
DOCTORALIA solenniter consequendi,

*Die 21 Martii Ann. M DCC XI.*

IN AUDITORIO JCOTORUM

*Publicæ Magnifici Senatus Academicæ censuræ submittet*  
AUCTOR

**ANTHONIUS FRANCISCUS OTTO CAPAUN,**  
Illustris Cancellariæ Haffo-Schaumburgicæ Advoc. Ordin.

---

*RINTELII,*  
Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.

VIRIS  
*Magnifico, Excellentissimis,  
atque Consultissimis,*

**DN. JOHANNI ERNST,**  
JCto Excellentissimo, Cancellariæ  
Hasso-Schaumburgicæ Directori  
gravissimo:

**DN. PHILIPPO GRÆBE,**  
JCto, ejusdem Cancellariæ, ut & rerum  
Cameralium Consiliario meritissimo:

**DN. REINHARDO**  
**KLEIN, JCto,**  
Præfecto supremo Schaumburgensi  
dignissimo:

*Dominis, Mecenatibus, ac Patronis  
ad cineres usque devenerandis*  
**Felicitatem perennaturam!**

V I R I ,  
*Magnifice , Excellentissimi ,*  
*& Consultissimi ,*  
Patroni ætatem colendi !


P Ræsentem hanc de potestate  
Principis in subditos Dissertationem  
Inauguralem VOBIS,  
queis potestatis hujus in Comi-  
tatus Schaumburgici subditos exercitium  
à Potentissimo Principe nostro conces-  
sum est, sacram esse cupio; Id quod pro  
humanitate VESTRA vel propterea non  
de-

dedignaturos Vos spero, quoniam aliâ aliquâ gratitudinis tesserâ tot insignes parenti æque ac mihi exhibitos benevolentiae VESTRÆ fructus eâ, qua par erat, devotione agnoscere hactenus mihi non licuit. Hoc igitur, ceu quale quale gratae mentis indicium, benigne suscipite, contenta ejus VESTRA autoritate suffulcite, VESTROQUE favore me complecti pergitte. Quod restat, D. O. M. supplex veneror, ut Vos, illustrium Virorum Trias, in patriæ emolumendum, illustriumque familiarum VESTRARUM decus æternum per Nestoris annos salvos, sospites, atque incolumes servet. Sic pie vovet

*Magnif. Excell. atque Consultiss.  
Nominum Vestrorum*

Dabam RINTELII,  
die 14 Martii 1711.

Obsequiosissimus cultor  
A. F. O. CAPAUN.



Σὺν θεῷ Θεῷ.

# PROOEMIUM.

§. I.



Bsque potestate seu imperio hominum  
in Republica viventium tranquillitatem  
conservari neutquam posse, extra omnem  
dubitacionis aleam positum est; Postea-  
qvam enim status hominum post lapsum  
protoplastorum, cœu proh dolor! hodienum apparet, adeo  
corruptus factus, ut homo homini non Deus, sed diabolus  
existat, ita omnia vitiorum genera eorum animis adeo fir-  
miter sese insinuarunt, ut, n̄ metus poenæ, a superiore vi  
Imperii infligendæ, malitiosos à delinquendo arceret, alter  
alterum vivum devoraturus esset. Conferatur Grotius de

J. B. & P. lib. i. cap. 3. §. 4. seqq.

§. II. Vocabulum potestatis varie in legibus nostris  
sumitur: Primo enim denotat imperium parentum in libe-  
ros, seu patriam potestatem, l. 1. §. 21. ff. de Exercitor. act. rot.  
tit. f. & c. de patr. potest. Secundo significat dominium in  
personam servi, l. 3. §. 3. ff. de Donat. int. vir. & ux. Tertio  
sumitur pro Magistratu ipso, l. 26. princ. ff. de Pignor. l. 17. §. 19.  
ff. de Adilit. Edit. Quartò denotat imperium, Principibus

*Necessitas  
potestatis,  
seu imperii  
in subditos,*

*Varia vo-  
cabuli po-  
testatis fi-  
gnificatio-  
nes.*

A

*In subditos competens, l. 3. §. ff. de Jurisdictione. l. 215. ff. de Verbo. Sign. quæ ultima vocabuli potestatis significatio proposito meo conformis est.*

*Potestas fundata est  
1. in Jure Naturæ,*

*2. Divino.*

*3. & Civilis.*

*Potestatis effectus.*

*Propositio.*

**§. III.** Quemadmodum igitur potestatem ex parte Principis seu Domini territorialis, subjectionem è contra ex parte subditorum, seu hominum in territorio degentium, tanquam correlata, in Jure Naturæ fundata esse nemo negabit, *de quibus vid. Dr. Keßneri Jus Naturæ & Gentium, cap. 7. §. 1. seqq.* Ita verbum divinum regna & imperia mirum in modum firmat, & approbat; per me enim Reges regnant, & legum conditores, inquit Spiritus Sanctus Proverb. VIII, 15. 16. siquidem non est potestas, nisi à Deo, Rom. XIII, 1. seqq.

**§. IV.** Tandem vero nostra etiam cívilia jura potestatem omnimodam in subditos concedunt, uti post Sard. Consil. 47. num. 14. & seq. refert Andr. Knichen de Jure Territorii cap. 1. num. 419. Ita, ut obsequium erga patriam & parentes, religionem erga Deum vocet Pomponius in l. 2. ff. de J. & f.

**§. V.** Potestas autem hæc (per quam cum Zieglero de Jure Majest. l. 1. cap. §. §. 8. jus ipsum, seu qualitatem moralem, personæ competentem ad aliquid juste agendum, intelligo) multos producit effectus. Sicuti enim sibi subiectos ad obsequium ejus, quod mandatum est, adstringit: Sicuti, inquam, hæc efficit, ut leges promulgentur, contravenientes poenæ statutæ obnoxii fiant, delinquentes puniantur, & de coetero, ut verbo me explicem, tranquillitas publica conservetur: Ita è contra multa heic se se offerunt, quæ, utut privato in animum sibi sumere, & ad effectum producere non liceat, tamen vi summæ potestatis summo jure competant Principi, adeo, ut istiusmodi factis contradicere, subditis nefas ducatur.

**§. VI.** Quo igitur materiam hanc pro instituti ratione, i.e. breviter, & quidem è commodius tractem, primo loco

loco generaliter de Potestate Principis legislatoria aliqua  
præmittam, dein de Potestate Principis circa personas, res &  
jura subditorum pauca quidem, sed tamen nostris temporibus  
plurimum occurrentia tractandi animus est.

## SECTIO I. DE POTESTATE PRINCIPIS LEGISLATORIA.

### §. I.

**P**otestatem constituendi iura humana, non tantum ex voluntate divina justam, sed & ex ratione naturali necessariam esse, inquit *Hugo de Roy*, *de eo quod iustum est, lib. 2. tit. 2.* Add. *Dn. Kestneri tractatum de Prudent. Legisl. §. 24. 25.* Profuit haec potestas ex ipsa majestatis & superioritatis territorialis natura, *Struv.* *Exer. 4. th. 79. & in S. J. F. c. 6. aph. 15. in iug. eum in modum, ut, si condendarum legum potestatem Principi auferas, avagxias protinus statuas, necesse sit, recte ita sentiente Zieglero de Jur. Maj. L. 1. c. 5. §. 1.* Licit autem potestas condendæ, interpretandæ, vel abrogandæ legis sit jus omnium jurium majestatis summum, *Bodin. de Republ. l. 1. c. ult. num. 155.* adeoque primo intuitu Principibus, alisque Imperii Statibus competere non videatur: Attamen, quoniam Principes Imperii juribus regiis eodem modo, quo superiorem non recognoscentes, omnimode utuntur, siquidem eo ipso, quo Ducalis illis titulus confertur, etiam regalis & omnigena Potestas tribuitur, *Knichen. in Comment. de Sax. non prov. jur. verb. Duc. Saxon. c. 1. v. 79. 80.* unde est, quod consuetam hodie titulis suis formulam præmittant: *Von Oottis Gnas den:* (à nemine sc. quam solo Deo dependentes) quæ potestas adeo absque limitatione effectū suum sortitur, ut quilibet

Legum  
ratio com-  
petit Prin-  
cipiat tam de  
Jure Na-  
turali,  
quam di-  
vino.

princeps, jura territorii habens, tantum in suo territorio possit, quantum Imperator in Universo, sive germanice: *Ein jeder Fürst ist Kaiser in seinem Lande/ Gail. de Pac. publ. l. n. c. 6. num. 10. 11. Carpzov. Prax. Crim. part. 3. quæst. 15 e. num. 22. seqq.* Igitur indistincte per suum saltem territorium (extra territorium enim jus dicenti impune non paretur) jure quasi Majestatis, quis Landes Fürstlicher hoher Obrigkeit, leges condere valet Princeps, *Vid. Dn. Kestneri Problema Juridicum de Reformanda Jurisprudentia §. ult.* & quidem eum in modum, ut nec Imperatoris confirmatione indigeant, per ea, quæ tradit Seckendorff im Deutschen Fürsten Staat part. 2. cap. 1. num. 4. Competit autem potestas leges ferendi Principibus non solum in Secularibus, sed & Ecclesiasticis negotiis. Utut enim de Jure Canonico-omnis prorsus jurisdic<sup>t</sup>io in spiritualibus & Ecclesiasticis ademta sit Principibus, *c. cum ad verum 6. cum multis seqq. distinct. 96. & in c. duo sunt 10. eadem Distinct. Card. Tusch. Concl. 41. lit. f. num. 2.* adeo, ut Imperator, multo magis Principes Imperii Papæ plane subesse dicantur memorato *Card. Tusch. Concl. 32. lit. f.* Attamen, quoniam stulta hæc, atque insulsa Papalis ambitio occasione Reformationis diu refrænata, imo explosa fuit; è contra saniores plane nullam, ne quidem in suo territorio potestatem civilem Papæ concedant: (neque enim æquum erat, Vicarium plus autoritatis sibi arrogare debere, quam principalem) Igitur vel ex solo illo dicto *ad Rom. XIII. 4.* ubi Magistratum à Deo bono subditorum ordinatum esse, Apostolus inquit, Principum fundata intentio circa Jura Ecclesiastica sibi vindicanda appetet. Bona etenim subditorum non consistunt in temporalibus solum, sed etiam in spiritualibus, quorum spectant *Deut. XVI 1, 18. seq. Psalm II. v. antepenult. & pen.* quæ utræque felicitates ad religionem potissimum respiciunt, *R. I. zu Augspurg de 1566. §. Wierwohl wir nun auf solches/ ibi: daran alle zeitliche und ewige Wohlfarth hänget ic.* Dubium heic loci poterat obmoveri, utrum forminx Principes eodem legislationis jure

**5**  
jure possint uti? per ea, quæ tradit Bart. in l. 1. ff. de LL. in voce  
*Virorum.* Verum enimvero, quoniam eas in distriictibus  
suis eadem cum ceteris Imperii Statibus potestate gaudere  
certum sit, exinde dubium hocce per rationem communis  
Germanæ consuetudinis dilucide removet J. Herm. Stam-  
minus de Servit. perf. lib. 3. cap. 8. num. 7.

§. II. Fundata jam potestate legislatoria, statim di-  
spiciendum erit, quomodo leges debeant esse comparatae?  
Non igitur perinde erit, quælibet pro lubitu & animi vol-  
uptate statuere, sed illa secundum certam normam in lucem  
edere necesse est. Generaliter autem Princeps de iis, quæ  
vel in Jure Divino expresse non decisæ, vel saltem ei non  
contrariantur, vel de Jure Naturæ permitta sunt, in infini-  
tum disponere potest, quæ dispositio versari debet circa ea,  
quæ ἐπὶ τῷ πλέων, i. e. ut plurimum accidunt, l. 3. ff. de LL.  
siquidem ad ea potius debet aptarijus, quæ & frequenter, &  
facile, quam, quæ perraro eveniunt, l. 5. ff. cod. Sequitur  
ergo, (1) haud licere Principi leges condere, quæ verbo di-  
vino expresse contrariantur, de his Theodosius, Gratianus  
& Valentinianus Imperatores præclare: Qui divinae legis,  
inquit, sanctitatem aut nesciendo omittunt, aut negligendo  
violent, & offendunt, sacrilegium committunt, l. 1. Cod.  
de crim. Sacrileg. Nec enim licet Majestati humanæ mutare  
ea, quæ divina jussit vel prohibuit voluntas, nisi si quid sub  
conditione aut certa restrictione jussum vel prohibitum fu-  
erit, tum enim conditione ista non existente, aut extra casus  
restrictos Majestati concessum est, potestate sua uti, & lege  
positiva pro re nata determinare, quod à superiori, divina sc.  
potestate determinatum non fuit, uti post H. Grotium de Imp.  
Suum. Posst. circa sacr. c. 3. num. 11. egregie differit Ziegler. de  
Jure Majest. l. 1. c. 5. §. 52. Neque (2) leges contra ipsum Jus  
Naturæ condere fas erit Principi. Verum enimvero, cum  
Jus Naturæ quædam præcipiat, quædam prohibeat, nonnulla  
etiam indeterminata relinquat, omnes autem homines, reges  
&

Leges non  
debent con-  
trariari  
juri divino  
neque na-  
turali.

& principes & quæ, ac subditos, Jus Naturæ stringat, ideo Principi non licebit Jure Naturæ præceptis vel prohibitis contravenire, siquidem jura ejusmodi naturalia semper firma atque immutabilia sunt, s. 11. f. de f. N.G. & C. adeo, ut ea, quæ in se & absolute sunt bona, e. gr. Deum colere, nec à Deo ipso mutari, & in pejus converti queant, neque hoc omnipotentia divinæ contrariatur, cum re penitus inspecta istiusmodi res directo perfectioni Divinæ contrariantur, adeoque in Deum, cœu ens omnium perfectissimum non cadant. Quicquid autem natura nec jussit, nec prohibuit, seu indeterminatum relinquit, illud pro libitu & arbitrio Principis prohiberi aut præcipi potest. In his tamen omnibus probe attendendum, quo leges vi summæ potestatis à principe condendæ justitiam comitem habeant. Quid justum, quidve injustum sit, jam dispiciendi animus non est, nec instituti ratio hoc permittit, sufficit, tria illa in l. 10. ff. de Justitia & Jure commemorata juris præcepta regulae instar heic loci inservire posse.

*Leges debent esse ad statum territorii accommodata.*

§. III. Non autem periade est, sive Princeps in suo territorio ipsemet leges præscribat, seu extraneas recipiat, & tanquam suas agnoscat, adeoque subditis secundum illas vivendi necessitatem imponat! Ratio est anima legis, l. 7. ff. de bon. damnat. l. 17. ff. de LL. Juraque à ratione vitam accipere dicuntur, sicut corpus per animam, Roland. Cons. 62, vol. 3. num. 24. Cum itaque magna pars animæ legum in hoc consistat, ut territorio illi, cuius incolas obligare debent, attemperatæ sint, igitur vel ex hoc solo colligere est absurdum quorundam Dd. sententia, statuentium, quod ius nostrum Civile Romanum quoad omnes suas partes, legis instar, in Germania nostra receptum sit, atque valeat: Sane hanc Dd. opinionem eadem ferme ratione mihi concipio, quam si tutor aliquis vel fator calceos vel vestimenta pedibus seu corpori viri cujusdam adaptata, infanti duorum vel trium annorum induere, eaque exiguo huic corpori egregie applicata

cata esse, mihi persuadere velit. Longe alia veterum Romanorum erat ratio, ac nostrum: Status provinciarum tempore conditarum legum Romanarum a nostris Germanicis provinciis toto cœlo differt. Quidigitur de Jure nostro Civili Romano statuendum? Quod si verbo me explicare liceat, illud tantum in subsidium esse receptum, adeo, ut illo eatenus uti queamus, quatenus legibus Germanicis non repugnat, nec à statu Reipublicæ abhorret, aut expresse vel tacite non est sublatum aut non admissum, puto cum Dn. G. G. Titio in egregio opere Juris privatij lib. I. cap. 5. §. 26. Usum tamen ejus subdiciarum eatenus, & quidem contra communem Dd. opinionem restringendum arbitror, ut neque jura Germanica ex Jure Romano declaranda sint, siquidem aperte contra sanam rationem currit, mores nostros ex alienis, extraneis, obsoletis, disformibus & à praesenti territoriorum nostrorum statu plane abhorrentibus juribus explicare velle: Sanior igitur opinio est, statuentium, explicationem jurium statutariorum seu provincialium ex ipsis rationibus domesticis depromendam esse, praludat. Tit. alleg. tract. l. i. cap. 6. §. 25. seqq. Per jam tradita autem laudi Juris Romani, quatenus nimirum in generalibus circa conservationem & tranquillitatem Reipublicæ, coercitionemque delictorum æqui & justi principiis versatur, nequicquam detrahere cupio, non solum enim in compilando corporis hujus opere, ut veterum Ictitorum miram in excogitandis ipsis legibus sedulitatem, taceam, incredibilis & indefessus labor est adhibitus, sed etiam aliarum gentium legibus ob singularem multis in locis inibi existentem æquitatem & prudentiam id præstare, in que decidendis casibus longè ditius aliis esse, nemo cordatus facile negabit; quanquam multæ per quam necessariæ leviori studio inibi aliquando tractentur vel plane prætereantur materiæ, quas tamen pluribus ambagibus decidere æquum erat. Verumtamen neque leges, neque Senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus, etiam eos, qui raro

rard inciderint, comprehendant, sed sufficit, ea, quæ plerumque accident, contineri, sunt verba Juliani in l. 10.  
ff. de L.L.

Vera pro-  
bitas est  
optimæ le-  
gislatrix.

§. IV. Quo autem legum à se conditarum non exiguos fructus, territorii nimirum conservationem, tranquillitatem reipublicæ, subditorumque emolumentum, sibi polliceri queat princeps, pietate & diligentí verbi divini consideratione opus est. Ita enim Deus ipse ad Josuam: Ne verbum meum, inquit, ab ore tuo dimittas, sed potius dies noctesque consideres, quod serves exactè, quæ inibi scripta sunt; Omnia enim, quæ tunc facis, prospere succedent, siquidem sapienter & prudenter agere poteris. *Jos. I.*, & Sane, si continua illa verbi Divini consideratio celebremus, & plus quam sexagies centenis hominum millibus (in qua multitudine innumeri quotidie casus decidendi veniant,) imperantem Ducem ab officiis sui observatione non impedivit, sed multo magis eam promovit, quid Princeps, tam vastam hominum copiam sub imperio suo-haud habens, non sperabit? Omnis sapientia est à Deo, *Syr. I.*, i. igitur etiam ea, quæ requiritur in condendis legibus, quod vel egregio illo Regis Israëlitarum Salomonis exemplo probo, qui talia probe sciens, omnibus temporalibus felicitatibus posthabitatis, solam sapientiam à Deo expetebat, quæ preces Summo Numini adeo placebant, ut Salomon sapientissimus omnium, quos unquam mundus caperet, hominum evaderet, insuperque maximas, quæ mente concipi possunt, adipisceretur divitias, honoremque, secundum illud *Syridis*; Deum timere est sapientia, omnes divitias, omniaque bona secum ferens, *cap. I. v. 19.*

Princeps  
legibus est  
solitus.

§. V. Antequam ad ulteriora progrediamur, quæstionem illam: An princeps secundum normam legum à se præscriptarum præcisè vivere teneatur? paucis inspicere lubet: De Jure equidem Romano res per se clara esse videatur, ubi omni legis vinculo eximitur Princeps per *I. 31.*, ff. de

*de LL.* quo pertinent speciales illæ principibus præ subditis concessæ prærogativæ , siquidem (1) Princeps uxori pure ac simpliciter donare potest *l. 26. C. de Donat. int. V. & II.* subditus non potest , *t. t. ff. & C. de Donat. int. V. & II.* (2) Principis donatio privato ultra quingentos solidos facta , & vice versa , valet etiam sine insinuatione , *l. 34. C. de Donat.* alias non , vel saltem quoad partem 500. solidos excedentem est inutilis *l. 35. §. 3. l. penult. §. ult. C. de Donat.* (3) Principi per Procuratorem acquisitione hereditatis licet , *l. 1. §. f. ff. de Off. Procur. Cef.* privato non licet , *l. 90. ff. de acqu. heredit.* Quod si vero rem accuratius consideremus , distinguere placet cum multis aliis Dd. inter vim legis coactivam , & directivam : quoad illam princeps est solutus , siquidem ille supra leges est , nec vis aliqua invenitur , quæ facere potest , ut princeps juxta legum præscripta vivat : Quoad hanc minime , quod probe agnoverunt Theodosius & Valentinianus Imperatores *in l. 4. Ced. de LL.* Digna , inquietantes , vox est Majestate regnantis , legibus alligatum se Principem profiteri , submittere legibus principatum majus imperio existimantes . Siquidem proprium Imperatoris est , legibus vivere , *l. 3. C. de Testam* & Majestatem eas servare leges decet , quibus ipse solutus esse videtur , *l. 23. ff. de Legat. 3.* Hoc sane certum , commendari magis leges promulgatas , magisque obedientes reddi subditos , si viderint , caput Reipublicæ & Legislatorem iisdem secum institutis conformari , ita dicente Zieglero de Jure Maj. lib. 1. cap. 1. §. 19. Laudabiliter igitur aget Princeps , si illustri suo exemplo subditos ad tenorem legum per iadirectum quasi alliciat . Maxime vero obligatur , si cum subdito suo contraxit , sic enim in contractibus Jure Communi utitur , & non aliter , quam privatus considerandus ; Sicut enim initio libera potestas unicuique est , habendi vel non habendi contractus , ita renunciare semel constitutæ obligationi adversario non consentiente nemo potest , *sex. in l. 5. C. de O. & A.* Princeps

B

in-

Insuper secundum juris communis dispositionem contra xisse intelligitur, *Jas. in l. quoties C. de R. V.* neque contravenire potest contractui, quia obligatur de Jure Naturali propter consensum, *text. in l. i. pr. ff. de Pact.* cum in modum, ut nec plenitudo potestatis, nec ulla urgens clausula eum eximat, & omnes contractus, qui sunt cum principe, naturaliter habeant bona fidei, ita docente *Gathol. l. 2. Obs. 55. n. 7.*

*Et Augu.  
sta.*

**S. VI.** Dubium heic sese offert, an Augusta, seu uxor Principis pari jure gaudeat? Verum enim vero, cum foeminas jure maritorum indistincte frui certum sit per l. 8. ff. de Senator. l. 13. Cod. de Dignit. l. 9. C. de Intolis, & ubi quis domicil. hab. vid. Ita non obstante l. 31. ff. de LL. quae Augustam legibus adstringi statuit, non ex consuetudine, sed jure proprio eadem, quae antea de Principe adduximus, jura ad ipsius etiam personam applicanda censeo.

**S. VII.** Quemadmodum mutua inter Principem & subditos intercedit obligatio, horum ad parentum, illius vero ad imperandum & tuendum *Wesembec. p. 1. Conf. 33. num. 57.* adeo quidem, ut supremi Principis praecipuum munus sit, subditos tueri, eorum magnam curam gerere, eosque tanquam filios & nepotes tractare, *l. si quis filium 34. circa med. C. de inoffic. Testam.* subditis vero pro sacrificio habeatur, si Principi non obtemperent, *l. sacrificij 5. Cod. de Divers. rescript. Wesembec. p. 1. Conf. 40. num. 29.* Ita per pauca de subjectione subditorum, queis leges dicunt possunt, videamus. Est autem superioritas principis & obedientia illi debita supremæ potestati tam firmiter innata, ut subditus nullus ullo aliquo tempore libertatem adversus suum Principem praescribere valeat, *Covarruv. pract. quast. cap. 4. num. 1. tom. 2.* Qua ratione subditus quis fiat, origine, nimirum, vel domicilio, &c. de his pluribus legatur *Martinus Naturalis de Jure Subditorum, aphorism. 3.* Qui vero subditorum diversitates & subordinationes scire cupit, conferat *Dn. Titii Jus Privatum lib. 8. cap. 1.* Sufficiat nobis, subditum heic

11

---

heic loci vocare tales, qui sub jurisdictione ejus Principis,  
qui potestatem in illum exercere potest, domicilium consti-  
tuit, concurrente animo ibi habitandi, per text. in c. licet  
ratione ult. X. de Foro compes. Gail. L. 2. observ. 35. num. 2. 3.  
Quamprimum etenim Princeps dominum territorii se de-  
clarat, vi Summi Imperii ipsi competentis subditi ad ho-  
magii præstationem statim tenentur, quo Domino sub-  
jectionem & fidelitatem jurato promittunt, Gilman. Decis.  
Camer. I. 2. Dec. 60. num. 8, & per hoc juramentum fit pri-  
ma & vera subjectionis agnitus & probatio. Corbmann.  
Vol. I. conf. 47. num. 38. Meichsner tom. 2. l. 2. dec. 4. num. 122.  
Quoniam igitur ex jam dictis apparet, subditos bicipiti ex  
capite, homagii scilicet & specialis Jurisdictionis intuitu  
obstrictos esse Principi, & quidem adeo, ut huic fortius quam  
Imperatori ipsi adstringantur, Knichen de Jure Territor. c. I.  
num. 399. Ex ratione, quod jura provincialia ac constitui-  
tiones promulgare, contrarias abrogare, imò plane jura com-  
munia tollere principibus permisum sit, id quod tamen Im-  
peratori in ipsorum territorio non liceat, Wesselbec. Vol. I.  
Conf. I. num. 39. adeoque omnimoda & plenaria iis in  
subditos potestas competit, Knichen cit. loc. num. 419. Ea  
propter subditos Principibus suis omnem obedientiam præ-  
stare, eorumque mandata sedulo exequi debere firmiter con-  
cludendum. Quae sententia procedit, etiam si æquitati non  
admodum sese conformit, siquidem Dominis durioribus &  
iniquioribus etiam sit obediendum I. Petr. II. 18. & amplia-  
tur, ut subditorum non sit, decernere, utrum regnans utili-  
ter præsit, cas. nemo 9. quest. 3. neque factum Principis  
redarguendo corriger vel cavillare deceat, c. cum inferior  
X. de Major. & obed. Sicut enim vox patris filio, ita vox  
Principis tanquam communis omnium patris sancta esse de-  
bet subditis, l. 4. C. de Defens. Civit. Limitanda tamen sen-  
tentia, quod obedientia ex parte subditorum cesseret, si prin-  
ceps verbo Divino, vel etiam honestati repugnantia mandata

promulget, *Reyger. Thes. jur. voce subditus nam. 5. & 15.* si quidem iis in casibus Deo magis timendum, atque obedendum, quam hominibus, *Autor. V. 29.* Neque tamen etiam Domini territoriales fiducia Magistratus nimium in subditos facient, adimendo scilicet ea, quae de omni jure ad ipsos pertinent, ut ut enim remedia de jure contra dominum facientem competentia, utpote Mandata S. C. *Mynsing. observ. 8. Cent. 5.* sequestratio, *Zahn. Technograph. Municip. cap. 94. num. 22.* imò plane jurisdictionis privatio *Gail. I. 1. observ. 17. num. 4. per text. in l. 1. C. de Emend. sero.* ob difficultem in Imperio nostro executionem & ingentes sumptus, vix ac ne vix quidem nostris temporibus effectum suum fortiantur, certò tamen sint persuasi, eos similes esse virgines, qua pater infantem peculantem castigavit, quodsi enim, facta castigatione, puer priores peiores mores in meliores mutet, pater virgam in ignem conjicit: Ita si subditi per iniuritatem atque crudelitatem Dominorum fatis puniti, hos ceu penas instrumenta suo tempore, ni penitentia tempestiva intercedat, graviter vindicabit, aeternaque flammæ tradet Deus, ut post *Daneum l. 2. polit. Christian. in aphor. Sacr. sub tit. de Subdit. offic. num. 3.* laudabiliter & sat Christiane statuit *Narrat de jure subditor. aphor. 55. circa fin.*

*Determinatio pene  
in arbitrio  
Principis  
est.*

§. VIII. Lex absque coactione est quasi homo sine pedibus, sicuti enim hic de loco in locum procedere, adeoque sibi ipsi ullam utilitatem parere non potest, ita etiam illa non fortitur effectum, neque autoritatem suam sibi vindicare valet. Quae enim legum erit utilitas, si in literis duntaxat consistant, non etiam per ipsa facta & opera subditis utilitatem de se praebeant? inquit *Justinianus Nov. 161. in pr.* Quid enim verbis opus est, quae rerum effectus nullus sequitur, *l. fin. Cod. de Donat.* Tum igitur lex tandem valide fanciri poterit, si princeps etiam validè cogere, adeoque effectum legi dare queat. Talis effectus ut rite se sistere valeat, poena in transgressores legum promulgatarum sta-

statuenda opus est, quod & ipsi Juri Naturali conforme, siquidem illud eò ipso, dum aliquid prohibet, simul poenam à transgressoribus exigit, sed absque generis determinatio-  
ne: Hanc itaque Princeps merito sibi vindicat, & quidem  
vi potestatis legislatoriæ, quâ illa, quæ Jus Divinum & Na-  
turæ indeterminata relinquit, certum aliquid desuper sta-  
tuendo, supplet. De poenis Jure Civili Romano criminib-  
us adjectis plane nullum restat dubium, quin Princeps pro-  
lubito illas mutare queat, sicuti enim per supra deducta  
principi potestas competit, Jura Civilia communia, pro-  
vincialia &c. quandocunque libuerit, abrogandi, novasque  
leges iterum promulgandi; ita quoque rejectis, quæ Jure  
Romano statutæ erant, poenis, nova earum genera delin-  
quentibus imponere posse Principem, in propatulo est.  
Quod & jam tum agnoverunt veteres JCti, qui omnem in  
Principe arbitratiam esse poenam statuerunt, *Böer. dec. 254.*  
*Grammat. decis. 36.* *Ozascus decis. 80.* allegati a *Reyheno in*  
*Thesauro Juris voce: Executio in Criminalibus num. 23.* nec  
obstat *l. i. §. 4. ff. ad ad SCt. Turpil. & l. i §. ff. ad municipal.* ubi  
persecutio poenæ non mandantis arbitrio, sed legis auctori-  
tati reservatur, ex ratione, quòd poenæ non ex arbitrio &  
beneplacito, sed secundum leges transgressoribus infligendæ  
sint, per *Novell. 8. cap. 8.* hæc enim leges loquuntur de judi-  
cibus inferioribus, queis poenas à superiore statutas in aliud  
genus mutare non est permisum, *l. 55. ff. de Re jnd. l. i. §. fin.*  
*ff. de quest. l. 15. C. de pen.*

S. IX. Cuicunque cōpetit potestas legem pro-  
mulgarid, illi etiam à lege dispensare, & delinquenti gratiam  
facere licet. Est autem dispensatio relaxatio legis, publica  
autoritate facta, *Ziegler. de Jur. Majest. l. 1. cap. 7. §. 2.* Jus  
aggravandi verò consistit in indulgentia quadam, vel re-  
missione poenæ, reo ex gratiâ a Summo Principe attributa,  
ita definiente *Struvio Differ. Crim. 16. th. 1.* ex quibus diffe-  
rentia dispensationis & gratiæ impertitionis facile liquet,

De Pote-  
state gra-  
tiam faci-  
endi, seu  
jure aggra-  
tiandi.

Sicu-

Sicuti igitur materiam dispensationis quoad præstantiora  
saltēm ejus capita in Dissertationis hujus Sectione secunda  
infra attingendi occasio dabitur, ita heic loci paucula de jure  
aggravandi adducam. Vidimus ex definitione, quod tan-  
zum illis competat hoc jus, qui summam in Republica pot-  
estatem habent, de morte, exilio & honorum publicatione  
statuendi. *Sirvo. S. IC. Exer. 49. th. 89. pr.* Siquidem hoc jus  
symbolum est & character regis & supremæ præminentiarum,  
*Chriss. Liebenthal. Coll. pol. disp. 12. quest. 18.* Licet autem jus  
aggravandi Imperatori potissimum soli in jure nostro proprio  
tribuatur, *I. s. ff. de Poenis l. 10. C. de Sent. pass. l. 2. §. 1.* ibique  
*Goth. lxx. f. de poen.* Tamen, quia per superiorius deducta quilibet  
princeps in suo territorio idem, imo plus valet, quam  
Imperator in Imperio, igitur Electores, Principes aliquae  
status Imperii jus, reis poenæ veniam indulgendi, optimo  
jure exercent, *R. I. ju. Speyer de ann. 1526. §. Und wiewohl ic.  
Reinking. de R. S. & E. l. 1. cl. 5. cap. 1. num. 55. & 56. & cap. 6.  
per rot.* Generaliter autem locum habere dicitur, si nullus  
adlit legitimus accusator, vel saltēm absque detimento &  
præjudicio reipublicæ fieri possit gratia; *Ant. Gometz. tom. 3.  
var. resol. cap. 13. num. 38.* Caveat ergo Princeps, ne vulgo  
& promiscue ignoscat, siquidem omnibus veniam dare æque  
crudele est, ac nulli ignoscere, perque nimiam saepius im-  
pertitam gratiam delicta aluntur, augenturque *l. 3. f. C. de  
Episc. aud. Card. Tisch. præf. Concl. 679. num. 10. tom. 6. lit. P.*  
In eo igitur plerique Dd. convenient, quod talis remissio  
poenæ non nisi ex causâ, & præcedente ejus cognitione  
fieri debeat, *Ziegler. de Fur. Maj. l. 1. cap. 8. §. 1.* Locum habet  
præcipue jus aggravandi (1) in infantibus, hi enim ex delicto  
non tenentur, *l. 12. ad L. Corn. de Sic. l. 60. ff. de R. V.* (2) in  
impueris, *§. 9. f. de Inut. Stip. l. 9. ff. de acqu. hered. l. fin. de  
jur. & fact. ign.* (3) in furiosis *l. 12. ad L. Corn. de Sic. l. 9. §. 2.  
ad L. Pomp. de parr. l. 14. de Off. Praef. c. aliquos c. 15. quest. 5.*  
(4) In Noctambulonibus, seu dormientibus, *Clem. un. de  
Homio-*

**Homicid.** (1.) In Mutis & furdis, talibus scil., qui non habent intellectum, nec cum signis exprimere & demonstrare possunt, siquidem tum ex delicto non tenentur. *Pri. Part. p. 3. Oper. Crim. quast. 98. num. 159.* *Ant. Gomez tom. 3. var. resol. c. 1. num. 69.* (2) In homicidis casualibus, ubi enim nullus dolus, nullave culpa intervenit, nulla quoque poena locum habet. *I. i. §. 3. ad L. Corn. de Sic.* nec in foro paenitentiali *c. fin. caus. 15. quast. 1.* adde *Exod. XXI, 13. Num. XXXV, 12. Ios. XX, 23. Constit. Crim. art. 146. versu: So ein Schutz verbo: Diese beyde seyn entschuldiget.* Sed haec saltem per indecetum, impossibile enim est, omnes casus simul determinare, vel legibus comprehendere, *I. i o. ff. de LL.* cetera igitur conscientiosi Principis arbitrio pro varietate circumstantiarum relinquenda erunt. Excipienda autem sunt talia delicta, quicis verbum Divinum, ob tranquillitatem in genere humano servandam, praeclaro dictavit poenam, super hisce enim imposita postea gratiam faciendi potestatem non facile arroget princeps, *Carpzov. Crim. p. 3. quast. 150. num. 30.* Cessat igitur regulariter jus aggratiandi (1) in blasphemia, *Levit. XXIV, 13. seqq. P. Heitz. p. 2. quast. 24. num. 39. seqq. Carpzov. cit. loc. num. 29.30.* (2) In sortilegio, *M. Wensembe. in paratit. ff. ad L. Jul. Maj. in fin.* Deus enim dicit, præstigiatorem ne finas vivere, *Exod. XXII, 18. Levit. XX, 27.* (3) In homicidio doloso, *Exod. XXI, 12. Gen. IX, 6. Matth. XXVII, 52.* (4) In Sodomia, cuius poena est expressa *Exod. XXII, 19. Levit. XX, 13. & 15.* (5) In particidio stricte accepto, quod si enim quis, qui tantummodo malodixit parentibus, mori debeat, *Levit. XX, 9. Matth. XV, 4.* multo magis, qui veteraverit, *Exod. XXI, 15.* maxime igitur, qui parentem prorsus interfecit. (6) In Latrocino, cuius poenam vide *Ezech. XVIII, 10. & 13.* Tandem (7) in incendio quoque doloso principem non debere dispensare, *Dd. communiter statuunt. Dambord. pr. Crim. c. 147. num. 6. Dn. Siriu. Difser. Crim. ult. lib. 9. num. 10. per Constit. Crim. art. 129.* Verum tamen

tamen neque in his omnibus jam allegatis criminibus potestatem impertiendi gratiam principi adimere fas erit , siquidem ob multas à neotericis Theologis & JCtis adductas rationes poenæ istiusmodi legibus forensibus Judaicis tantummodo annumerandæ veniunt.

*De Resti-  
tutione &  
abolitione.*

§. X. Juri aggratiandi affinia sunt Restitutio, *l. 1. s. 1.  
§. 2. de L. Jul. amb. & Abolitio tit. Cod. de gen. abol.* Illa est, quando quis ex indulgentia principis, poena & infamia liberatus, in pristinum statum restituitur ; circa hoc generaliter notandum , quod, licet beneficia principum latissime sint interpretanda, *l. 3. ff. de Conf. pr.* per generalem indulgentiam fama tamen non restituatur *l. 7. Cod. de Sentent. pass. & ref.* Hæc est exemptione reorum à crimine, *Struv. Exerc. 49. ab. 88.* neque per hanc fama restituitur, sed tantum poena corporalis aboletur, *Goth. ad l. 3. C. de Gen. abolit. lit. a.* Quoniam vero ejusmodi abolitionibus hodie non utimur, *Struv. cit. loc. th. 89.* igitur de his tantum dixisse sufficiat.

## SECTIO II. DE POTESTATE PRINCIPIS CIRCA SUBDITORUM PERSONAS.

*Quilibet  
subdi-  
rum Prin-  
cipi revo-  
rentiam  
exhibere*

§. I.  
**P**rinceps quemadmodum curare debet , ut quietes & tranquillitas subditis suis conservetur & ut scandalum ab eis tollantur , *Card. Tusch. pract. Conclus. 679. num. I. tom. 6.* Ita ejus vox & iussio his veneranda & sancta esse debet, sicuti vox parentis filio, per ea, quæ tradit *Andr. Knichen de Vestit. paub. p. 3. c. 2. num. 80. 81.* Quoniam enim omnis magistratus à Summo Deo est constitutus, igitur omnis honor & veneratio à subditis ipso est praestanda, *Rom. XIII. 1. & 7.*

§. II,

q. II. Honor talis autem in eo consistit, ut subditi Principi mandanti obediant, præsumis vero ad defendendam contra omnes hostiles insultus sanctam ipsius personam, patriamque proni sint, in id namque geniti sumus, ut primum Deo, dein patris serviamus; *l. velas.* *2. ff. de J. & J. l. 5. & generaliter 15. ff. de Vener. in possess. miss.* nec impedit, quod singulis subditis mandata talia aliquando non expediant, siquidem vel periculum amittendæ vitæ adsit; patriæ etenim salos in omnibus actionibus, & negotiis nostris cuilibet utilitati private anteponenda est, *l. 3. Cod. de principiis.* *l. 14. Cod. de Oper. publ. Gail.* *2. obseru. 5. num. 3.* adeo, ut patriam vitare vel saltē negligere impium dicatur *l. nn. C. si curialis relit. civit. l. penult. C. de rescind. vend.* Ita, si territorium Principis ab hostibus invadatur, si urbes obsidione cingantur, potestas ei competit, quemlibet subditorum eō arcedi, ut non solum intramœnia se defendat, sed etiam in campo hosti obviam eat, suamque sanguinem pro conservatione Principis & patriæ effundat. *Cardin. Tusch. pract. Concl. 678. num. 2. lit. P.* Huc facit, quod, si ingravescat annona & charitas, principes publico edicto statuere possint, ut frumentum potius oppidanis, quam exteris vendatur, *Köppen. part. I. quaff. 59. num. 3. Did. Covarruv. resolut. lib. 3. cap. 14. num. 3. & 6.* adeo, ut tempore necessitatis vel Caristie rustici & agricultores possint compelli, ut veniant ad civitatem, & frumentum vendant. *text. in l. 2. ff. de sand.* Quæ sententia ampliatur, ut venditores victualium tum temporis maximum vel carissimum pretium petere nequeant, sed pro quantitate a magistratu taxatâ vendere illa cogantur. *text. in l. 1. ubi Gorhofr. C. de episc. and l. 1. 5. cura carnis.* *11. ff. de Off. pref. urb.* & si ultra hanc taxam vendant, extraordinarie puniri possint. *l. annona.* *6. ff. de extraord. Crim.* Neque immerito exigente ita necessitate vel utilitate publica talem communicationem inter subditos vi potestatis sua constituit Princeps, per *text. l. 2. 5. cum in eadem 2. in fin. ff.*

C

ad

Et ejus personam, patriamque defendere tenetur.

*ad l. Rhod. de jactu. cum & suadente summa necessitate  
divites officio judicis, ut pauperibus exhibeant elemosynas,  
(opus alias in misericordia & merita facultate consistens)  
compelli possint, c. p. p. fame morientum dist. 86. Pertinet  
huc etiam, quod Principes vi potestatis sue valide consti-  
tuere & mandare possint, ut metalla e ditionibus suis pro-  
fecta, fisco potius quam privatis vendantur. L. C. de metallar.  
& metall. Nec tantummodo jubere potest princeps, ut  
vendant, sed etiam, ut emant frumentum, certo nimisrum  
tempore, in locis remotis, & pro evitanda Caristia, prout  
bene docet Kóppen som. 1. des. quest. 59. num. 18. ita ut nec ulla  
privilegii praetextu excusentur, l. r. C. ue nem. licet ab empt.  
Summā, quilibet superior semper habet jurisdictionem &  
inspectionem generalem super omnibus personis in ditione  
suā viventibus, cum in modum, ut exigente bono publico  
ad officia personalia, personæ Principis æquè ac patriæ debita,  
in casu renitentia justè adigi possint.*

*De Praefac-  
tionibus  
personalis-  
bus.*

*§. III. Jurisdictionis personalis, principi competens,  
non cohæret tantummodo territorio, sed in infinitum sequi-  
tur personam, eique tam firmiter inhæret, sicut character in  
anima, Card. Tusch. praet. Concl. 319. lit. P. tom. 6. num. 1. funda-  
dam ergo princeps intentionem habet, si quemlibet subdi-  
torum, requirente ita necessitate publica, ad præstationes  
personales adstringat. Olim ratione jurisdictionis subditū  
dominū per 30. dies propriis expensis sequi tenebantur,  
Reyher. Thesaur. jur. voce subditū, num. 9. hodie per longius  
tempus, hæc tamen cum moderatione, ut quamdiu milita-  
ribus muneribus funguntur, alimenta necessaria seu salario  
ex clementia Princeps porrigit. Sic cogi possunt rustici, ut  
tempore belli non solum pro defensione sui quisque pagi  
sit in excubiis, Carpzov. part. 2. Conf. 51. def. 2. Sed etiam  
castra dominorum custodiare & defendere tenentur, Berlich.  
p. 2. Concl. 64. Speidelii Syll. quest. jurisd. lit. E. voce Excubia,  
ubi incidentes monendum, quod, licet munus excu-  
biarum*

biarum reale esse statuat *Luc. de Penna in l. cum scimus C. de agric.* nihilominus pro mere personali illud potius sit habendum, & quidem ex ratione *l. 18. s. 10. ff. de munere, & honor.* Circa materiam de operis personalibus præstandis hoc obiter tantummodo observandum, ut Domino quidem ea pro lubitu & commoditate sua exigere liceat, hâc tamen cum moderatione, ne subditos suos nimis gravet, vel plus solido prætendat. Inspiciat igitur (1.) ante omnia, an certa pacta & transactiones cum subditis super præstandis certis operis adsint, ea enim ante omnia sunt servanda, *Dan. Möll. lib. 2. semel. 22.* & ultra eas subditi non debent, nec possunt gravari, *Rosenthal. de feud. cap. 5. Concl. 71. num. 3.* ex ratione, quod in contractibus jure communi utatur princeps, *Gail. l. 2. obser. 55. num. 7.* Deinde (2.) attendat consuetudinem, quoties nimicum longo tempore rusticus spatio unius anni servivit, contra consuetudinem enim nova servitia nec dominus jurisdictionem habens imponere potest, *Alex. ab Imola in Consil. 124. vol. 4.* alia graviter in Deum peccat, concessâ potestate sua valde abutendo. *Gail. de Arrest. Imp. c. 10. num. 7. item l. 2. obser. 62. in fin.* Modus etiam (3.) observandus venit, quo servitia præstanda sunt, e. gr. Rusticus quidam servitia Domino præstare tenetur in territorio, & quidem in loco haud ultra horam a pago, ubi habitat, dissito, hâc ratione, ut quotannis quatuordecim vicibus servire, & propriis expensis sibi cibum, equis suis vero pabulum, porrigeret debeat. Jam dominus territorialis ob proprias & publico ne quidem inservientes rationes bona quedam in locum longe dissitum, v. gr. Lipsiam versus, transportaturus, rusticum hunc cogit, ut iter istud cum curru & equis suis loco servitorum unius anni in se suscipiat, ex probabili illa ratione, quod computata dierum & milliarium proportione rusticus intra 14. circiter dierum spatium domum reverti queat; Jam queritur, utrum dominus justam cogendi causam habuerit? Resp. Negando, quoniam plus petit,

qui aliter, quam debito modo solutionem vel præstationem operarum exigit; Imo hâc ratione rusticum nimis gravat, qui cum alioquin cibum, pabulumque, tempore præstandorum distinctis vicibus servitorum, propter viciniam adiutum suarum in promptu habebat, jam cum insigni suo detrimento per aliena territoria iter faciens, utrumque numerata pecunia sibi comparare debet, quia tantam pabuli copiam, quanta per 14. dies requirebatur, vehiculo suo alias sat satis onusto superimponere non poterat, consequenter ejus statum deteriorem reddidit, quod tamen plane non decebat, siquidem Domini territorialis officium est, subditos in eo statu conservare, in quo reperit, *I. neminem 64. in fin. C. de decur. Roland. à Valle lib. I. conf. 1. num. 104.* Nec impedit, quod plenitudo potestatis, talia servitia pro lubitu immutandi, jas ei tribuat, siquidem Dominus consuetudine subditorum ligatur, eaque in territorio suo uti debeat, *I. Laciū 21. 9. fin. ff. ad municipal.* neque plenitudo potestatis ad aliorum injuriam extendenda, *Vasqu. lib. I. controv. illust. c. 5. num. 17.* alias plenitudo illa non potestatis, sed tempestatis potius dicenda erit. *Card. Tusch. pratt. Concl. 669. tom. 6. lit. P. num. 5. 6.* Moderate igitur agat Princeps seu Dominus territorialis in imponendis vel mutandis servitiis, quamvis enim omnia ejus esse intelligantur *I. 3. ante med. C. de quadrienn. prescript.* attamen caveat, ne contra conscientiam faciat, hâc enim, dum per totum vitæ currículum omnia in memorem & ante oculos seu tempore matutino se aperiēt, sive vespertino se claudentes, quotidie reponit, homini, quamdiu in hâc terrâ vivit, inquietudinem & torturam internam infert, deinda verò veniet tempus, quando navis in portu dimittetur onusta, ubi, quâ mensura ipse antehac metiebatur aliis, eâdem Deus remetietur sibi, sunt verba *Card. Tusch. Concl. 668. num. 16. lit. P. tom. 6.* Prædicta autem eum in modum limitari velim, ut casus necessitatis excludatur, siquidem hâc omnem legem tollit, atque cum non præsumitur.

mitur Dominus territorialis voluisse uti plenitudine potestatis, sed in dubio jure communi, & potestate ordinaria, *Innocent. in c. innocent. de Elect. num. 5. Dd. in h. facto 40. ff. de vulgar. & pupill. subsit.* Immunes à praestationibus personalibus existunt (1) Professores & Doctores una cum uxoriis & filiis, l.6. C. de Profess. & Med. (2) itidem Advocati, qui una cum uxoribus suis ab omnibus muneribus personalibus sunt exempti, *Menoch. de A. f. Q. lib. 2. cas. 379.* Per rez in C. ad tit. de Postuland. num. 4. (3) argumento Doctorum, Lieentiati quoque heic locum inveniunt, quia pro Doctoribus plerumque habentur, maximè in favorabilibus, perrat. alleg. a Zieglero de Jure Maj. lib. 1. c. 24. §. 13. (4) Clerici ac Pastores, qui ad ejusmodi servitia non sunt obstricti, Berlich. p. 2. Concl. 64. num. 12. (5) Iaquilini & forenses, qui bus leges immunitatem à muneribus personalibus conceidunt, l.6. §. ult. ff. de Mun. & Honor. Gail. de Arr. Imper. cap. 10. num. 6.

§. IV. Vocabulum *dispensare* nobis jam non sumitur inter significatione, quæ puriori latinitati tribuitur, ubi idem est, quod *disponere*, scilicet cum cura distribuere, prout videri licet in l. 166. pr. & l. 209. §. ff. de Verb. Sigma. Sed heic loci idem est, ac *legibus solvere*, quam notionem de puritate linguae latinae op̄cime meritus Dr. Cellarius in *Caris suis posterioribus latinitati incertæ*; *In discussione autem Appendix Danica peregrinæ annumerat*; Quoniam tamen Canonistæ, ut plurima alia vocabula, ita & hoc plane alio usurparunt sensu, Brust. de Matrimon. cap. 56. nos etiam non adeo de verbis, quam rebus ipsis erimus solliciti, igitur omissis hisce, statim dicimus, quod is dispenset circa jus, qui data legis obligatione, ab ea privatim aliquem eximit, eique licentiam & facultatem tribuit, sine quæ legi alias esset obnoxius, *Convaruv. part. 2. cap. 6. tom. 1. de Matrimon. §. 9. num. 2.* Competit igitur dispensatio soli Principi hac cum ampliatione, ut etiam sine causa possit dispensare, ad hoc enim, ut dispensatio vel

De Dispensa-  
tione  
Matrimo-  
niali.

vel actus ex ea fecutus valeat, est in Principe pro ratione voluntas, unde, quamvis sine justa causa Princeps dispensationem concedat contra jus humanum, tamen valet confessio, actusque ex ea fecutus firmus erit, siquidem, quando Princeps in humano jure dispensat, causa presumitur justa, *Covarruv. l. c. §. 9. num. 9. & 10.* Quæ jam adducta sunt, euncta è collimant, ut in materia de dispensationibus hæc duæ generales regulæ pro accurata norma nobis sufficere queant: *Prima:* Non potest nec Pontifex, nec Princeps in præceptis divinis dispensare, ob solidam hanc rationem, quod illius solius sit solvere, cuius est ligare, & quod voluntas divina imperio hominum non subjaceat; *Secunda:* Leges positivas seculares sicuti Princeps pro lubitu sancire atque iterum tollere: Ita etiam vi summi, quod tenet, Imperii, in iisdem pro lubitu dispensare potest. Multi equidem sunt in ea opinione, quasi omnes gradus sint dispensabiles, excepta linea recta & linea collateralis primo gradu; Verum enim vero, si rem aaccuratè perpendamus, talis dispensatio Juris Divini impedimentum tollere non potest, quip consuetius est, prohibitioni divinae plenissime insistere, quam ad liberiorem dispensandi licentiam Principem adducere, monente *Dn. Strykœo in notis ad Bruunemann. Jus Ecclesiast. lib. 2. cap. 16. §. 25.* Circa dispensationem hæc pauca adhuc obiter notanda, nullum gradum Jure Divino prohibitum esse, qui non itidem Jure Naturali prohibitus sit, cum igitur nonsolum Juri Divino, sed & naturali actiones suas conformare tenetur Princeps, igitur prono quasi alveo fluit, ipsum vi Summae potestatis, præter gradus *Levit. XVIII.* expresse prohibitos, hisque in paritate graduum similes, ceu *Ziegler. de Jure Majest. l. 1. cap. 7. §. 16. seqq.* monet, & multis præjudiciis firmat, pro lubitu & beneplacito dispensare posse; Præsertim cum à Theologis recepta & firmissima sententia sit, præter gradus modo expressos, nullum Jure Naturali prohibitum esse, sed jure tantum humano

Ro;

Romanorum Pontificum, Covarr. cit. I. §. 10. num. 6. cuius tamen potissima ratio in nummis pro dispensatione aceipiens consistit; Non enim alia de causa Romani Pontifices usque ad quartum gradum prohibiciones has extenderunt, nisi ut frequentiores essent dispensationes, ex quibus immensa pecunia in eam curiam confluit, prout ex ipso Romano-Catholicæ Religionis addicto scriptore Marco Antonio de Dominis de Rep. Eccles. l. 5. cap. II. num. 79. refertantea laudatus Ziegler. de Jur. Maj. l. I. cap. 7. §. 20.

§. V. Concessionem veniae etatis soli Principi vi Summæ Potestatis competere, certissimum est per l. I. & l. 3. Cod. de his, qui ven. at. imp. Quamvis enim Novella Leonis 28. in fin. cuiusvis loci magistratui hoc justribuat, tamen, si rem penitus consideremus, mens hujus Novellæ eodem recidit, siquidem in effectu magistratui inferiori hoc Jus à Principe, Summam Potestatem habente, confertur, prout etiam in Comitibus Palatinis videre est: Quod si vero istiusmodi resolutio non placeat, tum vel solo isto fundamento Novella haec destruitur, quia nunquam in Imperio est recepta, igitur nec Juri Communi derogandi vim habet. Veniam autem impetrare possunt masculi, cum vicesimi anni metas impleverint, l. 2. pr. C. de his, qui ven. art. foemine, quando octavum & decimum annum egressæ sunt, l. 2. §. 1. C. cod. (Notari heic meretur Accursii nota, qui in rationes legis hujus inquirens, nullam aliam, quam hanc pro captu suo sibi elegerat: Termianum petendæ etatis veniae in foeminiis per duos annos non propterea anticipatum esse, quod haec prudentiores viris existant, sed, quod mala herba citius crescat.) Quamvis Principem etiam minori 18 annis veniam etatis ex plenitudine potestatis concedere posse nullus dubito, quam sententiam multis exemplis & præjudiciis firmanc Franc. Duarenus in tit. Cod. de his, qui ven. at. impetr. Ziegler. de Jur. Maj. l. I. cap. II. §. 2. Ante omnia vero ejusmodi adolescentes honestate morum prædicti sint, ita ut

*De Venia  
atatis con-  
cedenda,*

dc

de ipsorum modestia & idoneitate rerum utiliter gerendrum per testimonia vel aliter constet, l. 2. in pr. C. de his, qui ven. et. impetr. His itaque præmissis venia ætatis minori ita tribuitur, ut pro majore declaretur, insimulque omnia imposterum absque curatore agendi & administrandi potestas ei concedatur, ex quo profluunt hi effectus, ut (1) a potestate Curatoris minores liberentur, l. 10. C. de Appell. (2) legitimam personam standi in Judicio sine Curatore habeant, & res suas libere ipsimet administrent, l. 2. C. de his, qui ven. et. neque restitutionis in integrum beneficio amplius fruuntur, l. 1. C. zod. Hoc singulare est, quod minores, licet veniam ætatis impetraverint, immobilia eorum bona sine decreto alienare authypotheca gravare, l. 3. C. zod. nec in judicium deducere queant, ex ratione juris, quod is, qui non potest rem alienare, nec etiam eam in judicium deducere queat, l. 17. l. 2. ff. de Jure Fur. Cui consequens est, talem minorem hoc in casu nihilominus restitutione in integrum juvari, Gomez. tom. 1. refol. 14. num. 12. per l. 3. C. de his, qui ven. et. Curiosa heic se se offert quæstio, an minor possit restituiri contra hanc venie impetrationem? v. gr. Si minor, qui veniam ætatis impetravit, rem suam alienavit, an poterit restituiri non adversus alienationem, sed adversus venie impetrationem, quasi levitate aliqua veniam hanc impetraverit? Ut paucis me expediam, adversus talem venie impetrationem minorem equidem, sed non nisi ex magna & gravi causa restituendum esse arbitratur Franc. Duarenus in his. C. de his, qui ven. et. per l. Diuus 7. pr. ff. de in integ. ref. Denique notandum, tempus impetratae venie non ex eo, quo venia impetrata, sed ex quo judici fuerit intimata, currere incipere, monente ita Duaren. l.c.

*De Legitimato  
matione  
per rescri-  
pnum.*

§. VI. Est etiam non leve Principis Potestatis reservatum Legitimatio per rescriptum, quæ fit, quando Imperator supplici libello rogatus, fiberos naturales, non dissidentes, jubet esse legitimos, Struv. Exter. 5. th. 52. Licet autem

25

autem hoc legitimandi jus ad reservata Cæsaris referatur, qui illud Comitibus Palatinis nonnunquam concedit, *Carpzon.* p. 2. C. 6. d. 16. tamen reliquis Imperii statibus suos subditos legitimandi jus aquæ competere, minime dubitandum, *Tit.* de fure publ. l. 3. cap. 5. §. 38. & l. 5. cap. 3. §. 52. De Jure Romano multa requisita præsupponebantur, antequam ad tamē legitimationem devenir poterat, v. gr. ne aliqui alii liberi legitimati adestent, ne patri potestas, naturales filios suos per subsequens matrimonium legitimandi facultas data sit; & plura alia, relata in *Sruvii Exerc.* 3. ib. 53. Item, ut legitimandi tantummodo essent naturales, seu ex concubina suscepiti, s. 2. f. de Hared. que ab intest. non adulterini, & incestuosi: Verum, his requisitis non attentis, quilibet Princeps, potestatem & jura territorii habens, quemlibet allegitimum, imo etiam ex damnato coitu natum legitimare potest, dummodo dicat: *Non obstante Autb. ex complexu. Arism. Tepat. in Compend. Decis. tit. 447. cap. 5.* Rescriptum omnim contra jus elicitum valet, si Princeps expresse dicat: *Non obstante lege, prout optime statuunt Card. Tuscius tom. 6. Concl. 569. num. 7.* & *Arism. Tepat. l. c.* Dubium quidem heic obmovere posset opinio *Srauchii Differ. 4. num. 3.* ubi statuit, legitimationem per rescriptum Principis fieri ex fictione matrimonii, consequenter nec hodie liberos adulterinos, ob impossibilitatem applicationis fictionis hujuscemodi, imperiali rescripto legitimari posse, infert; Sed hanc opinionem optime refellit *Dn. Titius in Observ. Lauterb. observ. 28.* & in *Jure private l. 1. cap. 9. §. 21.* Quamvis etiam, ne hujusmodi legitimationis commento fraus alii, (puta tali, qui jus successionis jam quæsumum habet) fiat, contra l. 51. §. 1. ff. de Legat. 2. Consensum eorum, quorum interest, expresse requirat *Carpzon. p. 2. C. 6. def. 27. num. 3.* siquidem alias talis legitimatio valitura quidem esset, sed salvo jure tertii: Attamen nihilominus potestas legitimandi, etiam absque consensu legitimorum liberorum, Principi competit. *Gravior*

vier inter Dd. quæstio se sistit, an statutum, excludens feminas, extantibus masculis, locum etiam habeat in legitima-  
tis per rescriptum Principis, ut nimirum hi, exclusi filiabus,  
in totam hereditatem patris succedant? Profixe hanc quæ-  
stionem tractat, & tandem negative decidit *Gath. l. 2. obser. 340. num. 6.* Nos absque ullis verborum ambagibus bré-  
viter dicimus, quoniam statutum excludens feminas est  
contra ius commune, *text. in l. 9. ff. de lib. & posthum.* ergo  
in odium legitimorum extensiva interpretatio fieri non de-  
bet, sed stricte accipi & intelligi, *text. in l. quod contra 147. ff. de R. I. c. qua à jure 28. de R. I. in 6.* consequenter fœm inas  
non excludunt legitimati, sed æquis partibus secundum jus  
commune quasi ab intestato succedunt. Ampliatur autem  
legitimatio nostra, & procedit, subfistisque etiam si ex matri-  
monio postea nascantur filii legitimi, siquidem res perfecta  
& consummata, licet perveniat ad eum casum, à quo incipere  
non posset, non irritatur, *text. in l. 136. ff. de V. O. c. factum  
legitime 73. de R. I. in 6.* Quando vero alii legitimi liberitem  
pore petitæ legitimationis jam adsunt, hæc duo consideran-  
da: Aut pater in supplici libello de legitimis suis liberis  
Principi mentionem fecit, aut non? Si prius & tamen  
legitimatio subsecuta est, tum valet, quia facta cum clausula;  
*Non obstante, vel de plenitudine Potestatis:* hac tamen cum  
limitatione, ut à Comite Palatino talis legitimatio fieri ne-  
queat, nisi expresse hoc privilegium à Summo Principe ipse  
concessum sit; tum enim legitimandi potestas in ipso ex  
Imperatoris Privilegio & autoritate dependet, *c. porro 7. XI  
de Privil.* Sin posterius, legitimatio tanquam sub- & obrepti-  
tia non valet, siquidem hæc regulariter non solet fieri, nisi  
ob defectum naturalium & legitimorum, *Novell. 74. cap. I.  
in pr.* Vim hujus legitimationis ob plenitudinem potestatis  
fit Principe adhuc eo extendimus, ut quamvis legitimatus  
regulariter non censeatur ad feuda legitimatus, tamen, si  
in legitimationis rescripto disertis hoc verbis insertum sit,  
abs.

absque ullo dubio in feudo succedet; Quæ sententia procedit, sive feudum sit novum, sive ex pacto & providentia, ex ratione, quod Princeps ex plenitudine potestatis & ex certa scientia, hoc ultimo casu alterius jus quæsumum tollere possit, per rationes juris, quas late allegavit *Gall. 2. O. 124. n. 12.* siquidem omnia intelliguntur esse Principis, *l. 3. ante med. Cod. de quadrienn. prescr.* Quæ jam dicta sunt, procedunt tantum an territoriis Principum legitimantium, quod si igitur legitimati in toto Imperio pro talibus haberi velint, ut Cæsarib[us] legitimatio accedit, necesse est, *vid. Vitriar. f. P. l. 3. tit. 2. §. 13.* Effectus legitimationis est, ut legitimatus admittatur ad ea, quæ de jure communis legitime nato competit, *Arism. Topat. Compend. Decis. tit. 447. c. 7.* Sic legitimatus Patri, cognatisque succedit, non tantum in allodialibus, *Nov. 89. c. 8. pr.* Sed & per retro deducta in feudis, quanquam dissentiat *Carpzov. p. 2. C. 6. d. 27.* venit in patriam potestatem, *§. fin. f. de Nupt.* Sicut filius legitime ex matrimonio progenitus patris gaudet dignitate, *Carpzov. Jurisprud. Eccles. l. 2. d. 11.* & tandem ad opificia, aliaque munera & dignitates, alioquin ei præcluas, admittitur, *add. Dn. Tituli jus privatum l. 1. c. 13. §. 4. 5. & 6.*

**f. VII.** Non exiguum itidem summae potestatis simum est impositio census capitum, vulgo Capitatio dicta, quando nimis summus princeps à singulis subditorum suorum personis tributum exigit. Fundatum est hoc capitationis jus in ipsis sacris literis, siquidem non solum parentes Christi tempore Augusti Romanorum Imperatoris Bethlehem versus ibant, quo capita sua aestimarentur, *Luc. II. l. 2. 3. & 4.* Ibique Luther. gl. marg. verum etiam Christus censem capitum exsolvi jussit. *Marc. XII, 16. 17. Luc. XX, 25.* immo pro suâ persona ipsem exsolvit, *Matth. XVII, 27.* Quod si æquitatem inspiciamus, neque tum quoque exactio census capitum improbari posse videtur, siquidem Principem pro cura, in tuitione & rectione subditorum adhibenda, ex-

De Capita-  
tione.

D 2 pensis,

pensisqué hunc in finem exsolvendis, aliqua præstanta ab iis recipere, maxime decet; duithmodo pecunia hæc, magno sœpe pauperum subditorum labore, sudoreque acquisita, in luxuriam & voluptatem non impendatur. Olim hoc mōderamine capitatio imponebatur, ut per singulos quidem viros, per binas vero mulieres capitis norma esset censā: Imperatores vero Valentius & Valens binis ac ternis viris, mulieribus autem quaternis unus tantummodo capitis censum solvendum imposuerunt in L. 10. C. de Agric. & Cens. & hunc quidem censum soli Coloni & extra mœnia degentes præstabant, de cetero vero hi à nemine ad ullum obsequium vel servitium vocari debebant, l. 1. C. ne rusticanī ad ull. obſ. dev. è contra Thracenses & Illyricani, l. 1. C. de Col. Thrac. Coloni Ecclesiæ Thessalonicensis, l. 12. C. de annon. & trib. & tandem omnis plebs urbana à censu capitationis libera erat, l. un. C. de Capitat. civ. cens. exim. Cujac. ad l. 8 C. de exalt. trib.

*De Constitutione Officialium.*

§. VIII. Quoniam Potestatem in vastis sœpe numero provinciis Summus Princeps exercere ipsem non potest, hinc constitutione officiālium opus est, quam circa materiam cum Principis Potestas itidem versetur; 2. feud. 57. Ita eam, sed oculo tantum fugitivo, inspicere heic lubet. Quemadmodum igitur salus patriæ a bonis officialibus maximam partem dependet, ita Princeps in eligendis illis ed cautor sit, oportet. Primo namque necessarium est, ut constet Principi, utrum faturus Officialis muneri, cui præficiendus est, administrando par sit, nec sufficit, quempiam ab uno vel altero ex speciali aliquo favore vel intuitu commendatum, sed ab integro aliquo collegio ejus habilitatem & capacitatem approbatam esse decet. Secundo prudenter agit Princeps, si vigore juris indigenatus subditos suos atque cives originarios in promotione, faltem quoad ea officia, quæ in administrandis rebus & curis Reipublicæ magis, quam exercendis istibus versantur, extraeis præferat: quorsum collig-

collimat i. n. C. de Epist. & Cler. Caveat namque Princeps,  
 ne facile ad honores, magistratus & munera publica extra-  
 reos admittat, de quibus pluribus videatur Bodin. de Republ.  
 Eb. i. cap. 6. præprimis vero Martinus Naunyn in Hypothypo-  
 Juris Subditorum, aphorism. 9. ubi hanc materiam eleganter  
 & sincere petractat. Non solum enim indigenæ & subditæ  
 mores & instituta patriæ melius callent, sed & pro naturali  
 in patriam amore, majori sedulitate & fide administraturi  
 censentur, Mysing. Cent. 4. observ. 30. (qui naturalis in  
 Patriam affectus adeo vehemens reputatur, ut is, qui sine  
 causa eam deserit; impius dicatur Menochio tib. 5. præsumt. 12.)  
 Hinc in Rebuspublicis administrandis cives, qui in urbe nati,  
 cum in modum eligendi & diligendi sunt, ut etiam extraneo,  
 licet magis idoneo, anterendoros eos esse putet Alciat. de  
 præsumt. reg. 3. pref. 37. num. 1. Quamvis autem hanc op-  
 positionem non adeo approbem, siquidem utilitas Principis  
 quoquo modo promovenda est; attamen priorem senten-  
 tiam, quā indigenas extraneis præferendos esse diximus, ex  
 multis sat prægnantibus rationibus demonstrari posse, certum  
 est! Constat etenim (1) quod Principi per ministros suos  
 præjudicari possit, docente Brunnemann. ad l. fin. Cod. de fund.  
 rei priv. num. 3. (2) quod officiales quidam ingentem sepe  
 pecunia vim quotannis à subditis exigere & recipere debe-  
 ant: Si igitur ejusmodi minister vel officialis, ille latâ culpa  
 vel dolo, hic criminis de residuis, vel peculatus Principem  
 defraudaverit, uterque vero aufugerit, unde huic regressus  
 sumendus? Inquires, à quolibet cautionem esse præstandam?  
 Behe, sed quisnam gentium pro extraneo, cujusque forum  
 originis & notien sepe numero valde incerta sunt, omnia  
 sua bona hypothecæ nexus obligabit, præsertim cum sapienti-  
 ssimus Regum Salomon adeo expressis verbis & circum-  
 stantiis curiosos homines à fiducione dehortetur, Prov. VI,  
 1, seq. & cap. XI, 15. Accedit, quod ejusmodi homines ex-  
 tranei, tanquam rerum domesticarum & interesse rusticorum

rum ignari, horum ruinam citius cito promoveant, dum humeros suos officio ipso credito rite administrando impares non immerito carentes, adeoque cassationem ante oculos videntes, quovis modo pecunia rusticos emungunt, sibique injustas divitias acquirunt, imo cum injusto Mammore ad exemplum injusti dispensatoris interdum apicitiati contrahunt. Apparet igitur, quantum quandoque intersit, subditos praे extraneis administrationi rerum publicarum adhiberi, præsertim si illi multa bona immobilia in territorio possideant, quæ hypothecæ nexu, siquidem juramenta hōc corrupto hominum statu parum considerantur, Principi in securitatem obligare queant. Cujus religionis debeat esse officialis, de hac materia legi meretur *illustris Seckendorffii Deutscher Fürsten-Staat P. 2. cap. 5. §. 8. num. 1. & in Addi-  
sibus ad h. l. §. 32.*, ubi de requisitis constituedorum officium fusi, & quidem cum grano salis agit. Quod si rem absque ullā præconcepta opinione perpendamus, Principem juste facere certum est, suę religionis homines ad officia publica promovendo, dummodo hoc moderamine utatur, ne in iis provinciis, ubi sequior religio dominatur, rudiores homines ad munera eo præsertim tempore adhibeat, quo capaciores alterius religionis adiungunt, sed potius indistincte quemlibet eruditum & ad res gerendas habilem ad officia promoveat, alias enim subditorum, nullam in illis terris emergendi spem videntium, amor in Principis personam facile diminui, immo plane extingui posset, siquidem nulla res tanta vi atque effectu in animos hominum sese insinuat, quam facer ille religionis prætextus. Constituto igitur & per juramentum introducto Officiale, haud facile ad remotionem iterum procedere debet Princeps, seu territorii dominus, siquidem levitatis hoc indicium futurum esset, cum tamen Princeps debeat esse constans, & non variabilis, Inconstans enim non convenit Principi, unde debet habere unum quasi calatum, unamque linguam, & non plures, prout in-

inquit Card. Tusch. tom. 6. pr. Concl. 699. per tot. Probe ramen prospiciat, ne ministri vel officiales subditis ipsius injuriam faciant, eorumque ruinam promoteant; Præsumis vero omni modo impediat, ne judges, vel hi, qui magistratus praefecti sunt, ullomodo se se corrumpi finant. Eruhelcant & contra judices, qui à partibus litigantibus dona pecuniaria, vel in preciolis consistentia sibi applicari patiuntur! vel, si mavis, quo res speciem præ se habeat, non ipsi, eorum uxores & liberi tamen munera accipiunt! Nihil sane ad evitendam in republica justitiam aptius est, nihil habilius: munera namque exceccant oculos videntium, judiciumque animos pervertant & coercent, ut non videant jus alterius partis, Exod. X XIII, 8. Munera crede mihi, placant hominesque Deesque! Et quatinus judex tali modo corruptus secundum conscientiam suam nihilominus pronunciarē velit, lucri tamen adeo bonus est odor, ut judicium ipsius plane confundat atque turbet, idque ad partes donantis inopinatō perducat, quo minus veros iusti atque equi trahitos indagare queat, ut tandem tritum illud: Quis potest resistere tot armatis? (thaleris sc. dono oblatis, quels homo armatus inclusus erat) istiusmodi judici rite adhiberi queat. Summis sane laudibus evchendi sunt hoc in causa Romani JCTi, hi enī venales illas sententias, que in mercedem à corruptis judicibus proferuntur, etiam citra interpolata provocationis auxilium jam pridem infirmas & nullas esse decreverunt in l. 7. Cod. quand. prov. non est necess. hunc quidem in modum, ut is, qui pecuniam judici dederit, actione eadat, l. 1. C. de pen. jud. qui mal. jud. Judex vero damnum, corrupta fenteati alteri parti illatum, refarcire, insuper dati triplum, promissi vero duplum fisco exsolvere debebat, l. Laciū 9. f. de jure ffo. iud, si causa esset civilis, dignitatem seu cingulum mittebat; Si vero criminalis, coaſſicatis bonis, illi exiliū mittebatur; Aut. Novo Juri in pr. Cod. de Penā jud. qui mal. jud. Novell. 124. cap. 2, ibique Gorbi. qd.

Ad

Addatur ex nostro Jure Germanico R. I. de anno 1654. f. 102.  
 Prædicta tamen limito, ut locum tantum habeant eo in casu,  
 quando propterea pecunia data & accepta est, ut jus alterius  
 per iniquam sententiam invertatur, vel saltem inverti possit:  
 Secus obtinet, si pars propter operam aliquam v. g. in qua-  
 rendis antiquis documentis, judici munus aliquod, seu do-  
 cum culinarium, vulgo Küchen-Sturm offerat, quod hoc  
 casu licite sumit judex. Nov. 8. cap. 1. Neque illud improbo,  
 quando aliquis subditus donum Ministro propterea offert,  
 quo gratiam Principis sibi conciliet, vel aliquid à Principe  
 imperet: Si euti enim nullus ministrorum alicui ad gratiam  
 Principis conciliandam est obligatus, ita ejusmodi munus  
 oblatum pro opera ideo impensa remunerationis instar ha-  
 bendum; quid? quod leges Romanæ istiusmodi liberalita-  
 tem pro licet declaraverint in l. 1. un. C. de Suffrag.

*Quibus  
modis offi-  
cia finian-  
tur.*

S. IX. Qua ratione officiales constituendi sint, in praecedenti paululum consideravimus: Jam de Potestate Principis, que circa hos constitutos vestitur, pauca anne-  
 tenda. Res eò potissimum recedit: Utrum Dominus ter-  
 ritorialis officialem, scilicet approbatum, pro libitu ab officio  
 sibi concedere removere possit? Respondendum videtur  
 distinguendo: Aut enim peccavit officialis, aet non: Si  
 prius, tum decisio in promptu est, siquidem Principis seu Cu-  
 juslibet Domini territorialis persona subditis æque ac offi-  
 cialibus adeo sancta est habenda, tantoque honore afficienda,  
 ut minimum etiam delictum in culpa consistens clementia  
 Principis eos excuse, & hujus puniendi arbitrio subjicere  
 valeat. Sin posterius, tum iterum distinguendum, utrum  
 officialis ad certos tantum annos ratione locationis opere  
 contraxit, atque tum elapsis annis ipso jure dimititur: aut  
 simpliciter & voluntarie absque ulla condicione à Principe  
 assumptus est, & tum sine causa non facile dimitendus sit.  
 Licet enim primo intuitu contrarium verius videatur, si-  
 quidem nihil tam naturale est, quam ut unusquodque  
 codem

codem modo, quo colligatum est, dissolvatur, *l. 35. l. 100.*  
*l. 135. ff. de R. I.* officialis autem pure ex beneplacito Principis ad munus promotus erat, ergo ex puro beneplacito removeri potest. Porro inter potestates Principis referenda videbatur removet, ut neque per hanc injuria remoto inferri queat: quæ autem iure potestatis à magistratu fiunt, ad injuriarum actionem non pertinent. *l. 13. s. 6. ff. de Injur.* Quoniam vero per ea, quæ supra deduximus, potestas Principis ita moderatè interpretanda, ne Juri Naturæ & Divinō contrarietur; hæc autem iura nemini innocentī injuriam inferendam statuant, quā officiarius afficitur, si absque ulla causa removetur, vel si ob causam, falso ei imputatam, removetus per viam juris & cognitionem Juri peritorum innocentiam suam rite demonstraverit; his non attentis tamen non recipitur, siquidem nemo potest officio suo privari, nisi ex illegitima causa, *arg. coram, qua tradit Card. Tusch. pr. Concl. 710. lit. P. tom. 6.* Namvis enim officiarii gratis & voluntariè creperunt, non possunt tamen sine iusta causa destitui, *Hieron. Caval. comm. opin. quest. 435. num. 16. Anton. de Petra tract. de Jure questio per princ. non toll. cap. 39. num. 4.* Tres etenim sunt modi, inquit citatus Petra, quibus officia vacant: morte, renunciatione, & delicto; quo posteriori casu, antequam privetur officiarius, audiri debet in suis defensionibus per remedialis ordinaria, *Gnil. Bened. in c. Rainus, verb. duas filias habens, num. 40. de Testam.* Neque sufficit, quod remotio absque ulla causâ famosâ fiat; siquidem remotus ab officio, remotus ob delictum, culpam & malam administrationem præsumptione hominum putatur, *Roman. Conf. 236. num. 1. Et Conf. 228. num. 2. Klock, tom. 2. conf. 94. num. 33.* immò remotio ab officio dedecus & infamiam importare soleat, *l. 4. s. 8. verb. ex auditoriis ff. de remilit. l. judicis 12. C. de dignitate.* Igitur hæc conclusio firmiter tenet, quod Domin' territorialis absque causâ cognitione, & præcedente culpa aliqua, officiarium de jure removere nequeat. Quæ sententia ampliatur,

ut etiam removens injuriarum propterea teneatur: Nec enim magistratibus licet aliquid injurioso facere: Si quid igitur per injuriam fecerit Magistratus, vel quasi privatus; vel fiducia Magistratus (aus Obrigkeitlichem Umpys: Eroß) injuriarum potest conveniri, uti præclare ait *Ulpianus in l. 3 z. ff. de injur.* quam legem probat & allegat *Mari. Naurath de Jure Subditorum aphorism. 62.* Neque tamen his argumentis tutos omnino se esse officiales putent; siquidem, ut antea dictum est, etiam exigua causa ad remotionem interdum sufficit. Quamvis enim *Bartolus in t. Pomponius ff. de negotiis.* & *Innocent. Abb. Felin.* aliisque in e. cum venerabilis de *Except.* illum, qui semel in officio approbatus est, deinceps ultra reprobari non debere nec posse, statuant; tamen hanc impiam, & approbationem vitiorum continentem opinionem merito rejicimus. Utut enim vulgatum illud brōcar dicum: *Quod semel placuit, amplius displicere non debet;* c. 22. de *R. I. in 6.* in contrarium vulgo allegetur; hoc tamen ad contractus nominatos applicari, & ita intelligi debet, si ab utraque parte servetur, quod requisitum est. *Quod si* igitur inhabilitas adsit, hæc fane efficit, ut officialis ea, ad quorum præstationem se obligavit, servare nequeat: propter verum erit, quod, si conditio, quæ contractui tacite inerat, cesset, etiam contractus nullus sit, ejusque effectus tollatur per l. s. quis sub conditione 8. ff. si quis omis. caus. Test. Neque inhabilitatem præcedentem approbasse dici poterit Princeps, siquidem mentem & scientiam hominis ita comparatas esse in propatulo est, ut longum temporis spatium ad illas rite expiscandas requirarur, prælertim in his, quorum animas avaritiae socia simulatio obsidet: ut adeo, Principem hæc ante explorata habuisse, dici non possit.

§. X. Beneficium, antequam vacat, nec dandum, nec promittendum est, siquidem graviter alias adversus canones peccatur, t.t. *X. de Concess. prab. c. non furem 10. C. 7. q. 1.* *Francisc. Duarenus de Sacr. Eccles. min. ac Benef. lib. 6. cap. 1.* Quan-

*Quid de  
adjunctio-  
nibus & ex-  
pectantias  
statuendū?*

Quanquam autem jam dicta de beneficiis Ecclesiasticis intellegenda; attamen ad civilia officia ritè applicari possunt, & quidem vel propterea adjunctiones & expectantiae improbandæ sunt, quia pessimum illud, & de jure damnatum captandæ mortis votum in se continent, *cap. 2. X. de Concess. prob. in antiquis.* Quod Juri Canonicō sic abominabile censetur, ut non solum neque vivi, superstitionis hominibus beneficium conterri permittat, sed etiam promissionem ejus in casum mortis beneficiarii interdicat, hâc cum ampliatione, ut licet promissio intercesserit, tamen ex ea nulla obligatio nascatur, *Duarum. cit. loc. per c. 2. de Concess. prob. in 6.* imò superstitionis hominis nondum vacans beneficium impetrans ecclesiastica communione sumamveri, *c. i. de Concess. prob. deinde honore, graduque Ecclesiastico, si quo prædictus sit, privari, c. imprimis 7. C. 2. quest. 1. & denique plane infamia notari debeat. c. secundum 4. C. 3. quest. 2.*

### SECTIO III.

## DE POTESTATE PRINCIPIS CIRCA SUBDITORUM RES.

### 5. I.

**C**onsideravimus potestatem Principis, quatenus versatur circa subditorum personas, jam quoisque circa eorum res illa sese extendat, paucis videamus. Primo loco sese offerunt res communes, quæ quidem in nullius sunt dominio, sed tamen ab omnibus usurpantur, *Struv. Jurispr. l. i. tit. i. sph. 2.* ex his primo loco mare ejusque usus in potestatem Principis venit, quæ eo sese extendit, ut partem territorio suo cohærente, omniaque ex illâ forsan profluentia

E 2

emo-

*De Rebus  
communi-  
bus.*

emolumenta, v. gr. capturam certi generis piscium, sive etiam lapillorum pretiosorum solus sibi vindicet Princeps, omnesque sive subditos sive extraneos ab istiusmodi usq; arceat, non obstante eo, quod usus maris communis, omnibusque ac singulis hominibus patere dicatur in. *s. i. f. de Rer. divisi.* & gemmae aliæque res in littore matris inventas cuilibet occupanti cedant. *l. 3. ff. de R. D.*

*De Vensionibus.*

**S. II.** Ad res communes referri potest venatio, *s. 12. f. de R. D.* cuius species sunt triplices, quarum prima terrestris, altera aëria, tertia vero maritima nuncupari potest. Quod si naturalem legem inspiciamus, omnis promiscuae venatio licita fuit, siquidem lege creationis omnia animalia, sive sint pisces, sive volucres, sive feræ bestiæ, occupanti concessa sint, Jure Divino æquè, *Gn. I. v. 28.* ac Civili. *l. 1. ff. de Acq. rer. dom.* ubi tam ferarum venatio, *ff. fori igitur 12.* *f. de R. D.* quam pescatio in mari & locis omnibus publicis cuilibet patet, eum in modum, ut hanc facultatem impediens injuriarum teneatur, *l. 13. s. ult. ff. de Injur.* Licit autem Princeps ea, qua de jure naturali ad quempiam pertinent, auferre, consequenter jus venandi vel pescandi prohibere nequeat, *Cravetta Cons. 643.* siquidem pescandi quoque facultas de jure naturali omnibus competit in mari & fluminibus, *l. nemo igitur ff. de R. D.* attamen ex multis prægnatibus rationibus hanc naturalem libertatem summo jure restrinxerunt Principes: Invalecente etenim hominum malitia adeo necesse fuit, rerum communionem ad certos limites contrahere, ut, nî hoc factum esset, & è contra hominum omnium libidini omnia paterent, singuli multis necessariis carituri essent, *l. ius civile 6. ff. de J. & f.* Non exigua quoque prohibitionis ratio in eo consistit, ne homines plebeji seu privati à rebus gerendis per venationem promiscuat abducti, otio indulgere, imò platte latrociniis, queis nemora alioqui infesta esse solent, assuescere incipient, *P. Heig. p. 1. quæst. 15. num. 39, 40. Wefembec. in paratil. ff. de acq. rer. Dom. num. 7.*

Recte

Recte iugicar vi Summa Petetatis ac Juris Territorialis istum  
 rorum, alias communium, usum ad se solos privative translu-  
 terunt Principes, *i. littera 3. ff. no. quid. in loc. publ. l. 9. ff. ad L.*  
*Rhad.* Noque iniquum aut impium reputandum, quod  
 Princeps contravenientibus pro re natâ & iteratione ultimi  
 supplicii poenam inferri jubeat; quamvis enim non negem,  
 Comparisonem inter bestiolam aliquam, & vitam hominis,  
 (qua nihil pretiosius) institui non posse: attamen trans-  
 gressor non ob fraudulentam solummodo bestia alicujus  
 ferre contrectationem, sed potius propterea vitâ punitur,  
 quoniam Principis sui mandatis, non attenta poena adjectâ,  
 obtemperare malitiose recusat. Subditus enim in consciencie  
 obligatus est, non solum superioribus in genere, sed  
 etiam durieribus dominis obedire, dummodo verbo Divino,  
 taci supra deduximus, mandata ipsorum non contrariantur;  
 Hac vero venationem prohibentia Edicta juri & honori Di-  
 vino contrariari quis statuet? Probe tamen dispiciendum  
 Domino territoriali, ne, dum jus venandi sibi soli vindicavit,  
 totus in venando quotidie occupatus sit, multo minus cu-  
 ras publicas propterea negligat; peccat alias namque in ex-  
 cessu, qui merito reprehenditur à Par. *Pato de Syndicat. ix.*  
*Princ. cap. 1. num. 39. & seq.* Quin imò neque dignum esse  
 vita, qui nihil aliud novit in vita, nisi vanitatis studio in bestias  
 stivire, eosque, qui his studiis insistunt, semiferos esse, Cen-  
 taurorumque institutionem redolere, inquit *P. Heigius quoth.*  
*Illustr. 15. n. 8. part. 1.* Sed tamen neque in defectu peccandum  
 erit: siquidem, quando venatio, utut privatis prohibita, à  
 Princepe minus parcè, vel planè non exerceatur, rebus subdi-  
 torum domesticis gravem & ingentem ruinam infert; rustici  
 etiam, cateroquin satis miseri, si frumenta in campis sata  
 salva esse velint, dies noctesque à feris bestiis ea defendere  
 coguntur: quo fit, ut labores in familiâ necessarii domi negli-  
 gantur, adeoque rusticorum res quotidie deteriores fiant.  
 Idem de venatione æria, seu avium statuendū, quam utique,

præ-

præcipue vero eam, quæ circa aves majores ac rariores ver-  
satur, Princeps vi potestatis sibi merito soli tribuit, hòc  
tamen moderamine, quòd ad avertendum rusticorum, alio-  
rumque ruri operam dantium hominum irreparabile da-  
mnum his locutum sit, minores, Cererique campestri valde  
nocivas aves, puta passeris, horumque similes bombarda  
vel sclopeto terrere atque enecare. Quantum enim damnum  
hoc avium genus frumentis campestribus aliás inferat, vel  
quotidiana experientia nos docet: unde est, quod multis in  
regionibus rusticī certum numerum capitum passerum, cor-  
verum, accipitrum, &c. pro rata & quantitate mansorum,  
suz Præfecturæ quotannis sub certa poenâ tradere tene-  
antur.

*De Rebus  
publicis.*

§. III. Circa publicas residem fere obtinet, quod de  
communib[us] jam dictum est. Annumerantur illis por-  
tus, & flumina perennia, §. 2. *f. de R. D.* Licet autem & in  
locis publicis piscatio omnibus pateat, l. 13. §. ult. ff. *de Injur.*  
tamen illa postmodum certas ob causas & supervenientem  
necessitatem est prohibita, l. 13. *in pr. ff. commun. pred.* adeo,  
ut nemini hodie in publico flumine absque speciali con-  
cessione Superioris piscari liceat: siquidem ad superioritatem  
territorialem flumina pertinent, Regalibusque annumeran-  
tur, *Struv. Synt. Jur. fud. cap. 6.*

*De Rebus  
nullius,*

§. IV. Sæpius quædam res ita sunt absconditæ, ut  
propter inscitiam nemo eas sibi vindicare possit, quibus an-  
numerandus venit thesaurus, antequam à quopiam est in-  
ventus. Quod si vero rem accuratius perpendam, proprie-  
tatem non possum dicere, quod dentur res nullius; aut enim res  
est, aut non est: Si est, tum statim in dominio alicujus est,  
ut thesaurus jam inventus: Si non est, tum non poterit dici  
res, siquidem res debet esse aliquid; unde thesaurus incog-  
nitus pro non eate potius habendus quoad effectum. De  
Jure Romano, si aliquis in proprio solo thesaurum invenie-  
bat, totus ille tanquam Dei donum commodo inventoris  
cede-

cedebat; in alieno vero fortuito repertus pro dimidia tantum parte ad inventorem spectabat, altera dimidiâ domino loci reservata, §. *Thesaurus J. de R. D. l. 3. §. pen. ff. de Fur. Fisc.* Quod si vero data quis opera, vel magicis artibus illum scrutatus erat, indignus fortunæ dono reputabatur, toto thesauro fisco vindicato, l. nn. C. de *Thesaur.* Postmodum lege Constantini cautum est, ut quisquis thesaurum reperisset, illum ad fiscum ultero deferre deberet, ubi loci Dominio initio dimidia, deinde quarta pars constituta est, *Novell. Leon. 54.* Postea rursus primæva constitutio invaluisse videatur, ut omne genus thesauri in fiscum cogeretur, teste *Hegio quest. illustr. 13. num. 64. part. 1.* Nos eo in casu, ubi pecunia deposita non extat memoria, neque ulla gravis præsumtio, à quoquam veterem illam pecuniam claneulum sepositam esse, in promptu est, totum thesaurum vi summæ potestatis summo Jure Principem sibi vindicare posse statuimus. Totum enim territorium cum omnibus rebus, quas illud vel aperte vel teste comprehendit, sub dominio late ita dicto & potestate Domini territorialis comprehendor. Nec impedit, quod quilibet subditorum proprie Dq. lminus fundi sui, ædiumque suarum dicatur; siquidem urgente ita necessitate etiam hic omnia sua bona ad conservationem Principis, patriæque porrigerere tenetur. Neque possessionem thesauri prætendere poterit subditus; siquidem ad possessionem rite consequendam requiritur animus possidendi, *Habn. ad Hezembech. Tit. do acq. possess. num. 3. vers. nrrum. que enim. Aug. Barbus Thesaur. jur. tib. 14. cap. 64. axiom. 2.* & ubiunque deficit animus sibi habendi, ibi deficit vera possessio, l. 2. C. de *Præsor. 30. annor.* Neutiquam igitur subditus querulandi causam justam habet, si Princeps thesaurum, etiam ab ipso propriis in ædibus inventum, sibi applicet, cum neque rem, ad ipsius dominium pertinentem, auferat, neque possessionem intervertat, sed thesaurum tantummodo tanquam accessionem territorii merito sibi vindicet, in quo omnia

omnia Principis esse intelliguntur, *L. 3. C. de quadrivio præscr.* Quo collimat Jus Saxonum, vi cujus omnes thesauri subterranei, meatu aratri profundius jacentes, Regiae potestati & regalibus addicuntur, *Constit. 53. part. 2.* Quantum vero hic textus propriæ de metallis subterraneis loquatur, rite tamen ab his ad thesauros stricte ita dictos, modo plane sint incogniti, nec ullam memoriam in se contingant, argumentum formare licebit, & hoc quidem eotius, quoniam res *omnis* hōc in casu semper ex arbitrio, & potestate imperantium pendet, teste *Jac. Cajacio Observ. lib. 9. cap. 37. p. m. 403. lin. 14. 15.* Quoties autem de dominio pecuniarum ullo modo probabiliter constat, toties thesaurus dici non potest, sed tali casu proprietario, vel ei, cuius majores pecuniam illam securitatis gratia depositisse gravi presumtione creduntur, tanquam heredi non immerito ea restituenda venit per *L. 31. §. 1. ff. de A. R. D.*

*De Rebus singulorum,*

6. V: Ob dominium supereminens in omnia singulorum subditorum bona certis casibus Principi jus competit, paucis igitur exemplis rem claram faciemus: Contingit nimirum, ut Princeps, cum vicinis bellum gerens, ad defensionem patriæ necessarium arbitretur, quod locus aliquis, vel urbs vallo, coeterisque nostro tempore confydetis munitis circumdetur: cives autem, quoram horti prope portas siti erant, valde propterea conqueruntur, iniquum reputantes, quod tali modo egregiam bonorum suorum immobilium partem deserere debeant; jam questio sese offerit, an quarela hæc civium justa sit, nec ne? Responso impetu est: Utut enim primò intuitu Juri Naturæ contrariari videbatur, tali ratione quempiam quietâ sua possessione privare, imò plane dominio exuere velle; attamen, quoniam nullus civis vel subditus sibi soli, sed patriæ potius natus est, *L. 1. §. 15. ff. de Ventr. in poss. mta.* insuper Respublica vel ob solum fidelitatis juramentum seu hormagium præstatum, subditorum bona sibi vindicet; cui tandem accedit, quod publica utili-

utilitas privatorum commodis semper anteponi debeat, *i.*  
 sxt. *C. de Primitiis*, querela igitur subditorum hoc in casu  
 merito rejicienda, adeo, ut non solum proximiores hos hor-  
 totos in valium transportare, verum etiam ædificia defen-  
 sioni incommodatura diruere possit, nec ad restitutionem  
 damni illati teneatur Princeps, ex ratione, quoniam Summa  
 Potestati omnis privatorum subest utilitas ob supereminen-  
 tiā, per ea, quæ tradit *Sam. Stryk. in Dissert. de Fortalitiis*  
*cap. 5. num. 11. 12. seq.* Quoniam tamen iniquum videbatur,  
 quosdam ex universitate damnum insigne sentire debere,  
 plurimos vero absque onere manere, summa proinde æquitas  
 efflagitat, ut omnium contributione resarciantur, quod ob  
 communem utilitatem amissum est, & commune detrimen-  
 tum fiat eorum, qui ob amissas res aliorum consecuti sunt,  
 ut res suas habeant salvas, *arg. l. 1. ff. de L. Rhod. de jacto*, quam  
 legem ad alias similes, & hos casus trahi posse, tradunt, *Brus-  
 nem. ad h. l. Struv. S. J. C. Ex. 20. th. 27. ibique alleg. Dd.* Ex  
 quo fluit, non concives ejusdem Civitatis tantum, sed &  
 totius provinciæ incolas ad restitutionem conferre debere,  
 si quidem per fortalitium non Civitas ipsa, sed tota sepius  
 defenditur provincia. Eodem modo res se habet, si civitas  
 in gruētis hostis impetum propterea sustinerenequeat, quod  
 ædibus undiquaque sit cincta, quæ hostibus tutamini esse  
 poterant, hoc enim casu vi summi imperii easdem subver-  
 tere atque igne delere, restitutionem pretii vero modo an-  
 te dicto mandare Princeps potest; quæ potestas licet à *Dd.*  
 per *l. 14. C. de Oper. publ.* per se defendatur, *Brunnemann. ad  
 b. l. Gail. 2. observ. 56. num. 2.* ex ratione, quod etiam privatus  
 arcendi ignis, & domus servandæ causa vicinas diruere pro-  
 pterea possit, quod ædibus certo alias perituriis damnum in-  
 ferre non videatur, per *l. 49. s. 1. ff. ad L. Aquil. Struv. S. J. C.*  
*Exert. 14. th. 21.* maximè tamen vigorem suum à Dominio  
 supereminenti participat, *Dn. Stryk. Dissert. de fortalitiis c. 6.  
 n. 31.* Alius itidem se sifit casus in materia de metallisodinis,

quando nimurum venæ metallorum in terra ita se extendunt,  
 ut nova terræ apertura seu fodinâ, & quidem in alterius pri-  
 vati fundo, opus sit, unde duplex quæstio oritur, 1. Anne  
 metallum illud, quod in fundo privati forsan invenitur,  
 tanquam accessorium ad ipsum pertineat? 2. An hic, ut  
 fodina cum ingenti agri sui & frumentorum inibi crescentium  
 detimento perficiatur, teneatur pati? Quoad primam  
 quæstionem observandum, metallifodinas eō casu in patri-  
 monio privatorum hominum olim extitisse, prout monet  
*Cujac. lib. 15. observ. 21.* propter verisimilitudinem *l. si cuius*  
*23. §. 5. ff. de Usufr. L7. §. 13. ff. Sol. Matr. l. 13. §. 1. Comm. præd.*  
*L3. C. de Metallor.* Unde nomine fodinarum inita est olim  
 publicanorum societas, & vctigal eo nomine solvendum,  
*L1. ff. quod cuj. univ. nom. l. 17. in fin. ff. de V. S.* quod locum  
 habebat, si amplior metallorum proventus erat, tum enim  
 præsertim, si in publicis locis, quod tamen alias prohibitum  
 scrutinia adhibita fuerant, fisco commoda exinde provenien-  
 tia viadibantur, teste *Heig. p. 1. quæst. Illuſtr. 13. num. 19.*  
 Hodie vero metallifodinæ indistincte Principibus undiqua-  
 que in ipsorum territorio, licet in privatorum fundis fodinæ  
 exstruendæ, solis competunt, id quod etiam *Chrysobulla*  
*Carolina cap. 9.* indigitat, ubi cuiuslibet generis metallorum  
 fodinæ Principibus Germanis & Electoribus attribuuntur.  
 Quoad secundam quæstionem attinet, illa breviter sic de-  
 terminanda, quod subditus, ut fodina in suo fundo perficia-  
 tur, pati debeat, & in casu renitentia ad id compelli possit.  
 Sane, supereminencia & potestas illud exigit, ut metallifodini-  
 nas, quippe quæ magnum & insigne Reipublicæ commodum  
 afferunt, etiam cum suo incommodo privatus promovere  
 teneatur. Solent tamen Principes, qui sicuti in autoritate  
 & potentia, ita etiam in humanitate & clementia cœteros  
 anteire & præcedere debent, à stricto jure recedere, &  
 damnum non solum hoc, sed etiam in casu priori, initio §. hu-  
 jus proposito, causatum damnum resarcire, *text. in lib. 13. §. 1. ff.*  
*Com.*

**Commun. pred.** licet interdum magis in praeium, quam ex debito; quo pertinet, quando Princeps domino fundi ob damnum illatum, in remunerationem quasi, portionem certam reddituum, *Germ. eine freye Erbkulur / suisumtibus conservandam concedit*, uti tradit, *P. Heiginius quest. 13. num. 43. p. 1.* Tertius adhuc fese offert casus, ubi vicinus, quando via publica vi fluminis, vel alia ratione amissa, novam viam ex suo fundo publico usui iterum praestare tenetur. *Covarruv. var. resol. l. 3. tom. 2. cap. 14. num. 8. text. in l. 14. §. 1. ff. quemadms. Serv. amitt.* Simile huic est, quando flumen publicum ita excrescit, ut alveus novum fluxum in damnum totius ditio- nis querere videatur; hoc enim casu ad divertendam vim fluminis, privatus vicinus perfundum suum fluminis novum fluxum concedere, & aperire tenetur, refusis tamen & recompensatis damnis, id quod præjudiciis confirmat *Köppen. Decis. quest. 59. num. 15. tom. 1.* Qui ceteroquin circa potestatem Principis in res subditorum se sustinunt casus, ex antecedentibus decidi facile poterunt.

**S. VI.** Quo subditi res suas sub Principis imperio tutas possidere, & salvas retinere queant, expensis, quarum ope defensiones paratae sint, opus est, haec vero sub generali tributorum realium nomine merito à subditis exsolvuntur. Est autem pensationum publicarum præstandarum obligatio necessaria æque, atque antiquissima, omnium etenim temporum historia nos docet, tributa, & his similes præstationes cum imperiis ipsis emersisse. Certe, cum Reges crearentur, aliquas opes ipsis tribuere necessum fuit, qui buscum Regium decus servarent, maximè vero regia onera sustinerent, inquit *Heiginius p. 1. quest. Illustr. 17. num. 4.* quod *Tacitus hb. 4. histior.* breviter quidem, sed satis nervose his verbis innuit: *Neque quietem gentium sine armis, neque armis sine stipendio, neque stipendia sine tributis haberi posse.* Exactio nem tributorum & collectarum in ipso quoque Divino verbo fundatam esse videmus, cum quidem iammodum, ut in-

*De Tribu-  
tis & One-  
ribus pro-  
pter res &  
bona exsol-  
vendis,*

signum subjectionis, & urgentibus Reipublicæ necessitatibus superiori Magistratui ea exsolvantur, ceu patet ex Mattheo. XVII, 25. & seq. cap. XXII, 21. ad Roman. XIII, 6. 7. & 1. Petr. II, 13. Olim contributiones ad rogationem dominorum siebant, & sub voce Bethhe veniebant, cui Gallorum hodiernis præsertim temporibus sat notum *Don gratuitus* affine: Utrumque vero jam ita degeneravit, ut non precario, sed ex debito tributa exigantur, ex hac quidem prægnari ratione, quod eo ipso Principiis media dentur, subditos tuncandi, eosque ab omnibus injustis insultibus defendendi, prout bene monet *Lutherus in not. ad vers. 6. Epist. Pauli ad Rom. XIII.* Competitique jus collectandi & tributa exigendi Domino jurisdictionem habenti, *Wesemb. p. 1. Cons. 45.* siquidem nemo, nisi Dominus territorialis, onera imponere potest, vid. l. 214. ff. de V.S. & 2. feni. 5. 6. & mixta quidem, cum tenuiores tangant, fere pro lubitu, ac ultra modum, Collectæ autem cum consensu statuum Provincialium injunguntur, *Titius in Jure privato l. 8. c. 8. §. 6.* Et quoniam tributa non sunt onera personalia, sed realia, igitur legalis distributio exigit, ut secundum cujusvis quantitatem bonorum, reddituum, fructuum & obventionum imponantur & exigantur, uti bene monet *Relfendso de Summa Principiis German. Potestate cap. 10. pag. mihi 153.* Quemadmodum vero omnium pensitationum finis debet esse utilitas Reipublicæ, igitur tributa non facile, nisi summae necessitatis tempore, augeantur. Præstanda autem veniunt ab omnibus subditis, nemine excepto, modo bona immobilia in territorio Principis possideant. Neque Doctores, Professores, Lententiatos, imò Clericos & Ecclesiæ ipsas excipio, quamvis enim dubium non sit, jura his consulere voluisse, ne passim oneribus omnibus gravarentur, & ab operis sacris, & publicæ rei utilibus avocarentur, *Ansch. Habita C. ne fil. pro patre. L. ult. C de Prof. & Med. l. placet 5. C. de SS. Eccles.* tamen hoc non ita crude interpretandum, quasi ab omnibus omnino mu-

muneribus prædicti immunes sint, siquidem personalium tantummodo onerum vacatio concessa iis est, hunc in modum, ut nihilominus munera patrimonialia & ordinaria pro rebus & possessionibus suis, itemque extraordinarias collationes, ob publicas necessitates indictas, sustinere cogantur, per text. in d.l. placet. l. omnes s. C. de Annon. & tribut. l. 2. s. & 6. C. de Muner. patrimon. quam sententiam late per plures textus & Dd. defendit Heig. quest. 17. num. 21. Et prædicta quidem obtinente oneribus ab immobilibus rebus præstandis: Jam circa mobiles paucis monendum, quod illis rebus, quibus cives ad viatum saltum uruntur, vestigal, onus, quod alias in via publica & fluminibus, certo in loco, sed à nemine, nisi Principe summam potestatem habente, exigi potest, non sit importandum, id quod testante Relfendo loc. pag. 148. Politici constanti docent ore. Hinc est, quod olim ab Imperatore Constantino fuit constitutum, ne à provincialibus pro his rebus, quas ad usum proprium, vel ad fiscum inferunt, ullum à Stationariis exigatur vestigal, l s. C. de vestig. & Commiss. Iis autem rebus, quæ ad luxuriam faciunt, v. g. Aromaticis Indicis &c. quibus Germania absque ullo dubio facile carere potest; item tessellis, chartis, lusoriis, magna imò immodica vestigalia imponere potest Princeps, eum in modum, ut non solum juste faciat, sed & opus laude maximâ dignum, Deoque gratissimum, eð perficiat, siquidem effronata hominum libido, quæ alias citra necessitatem multos ad incitas redagit, per ingens tale onus ab emtione harum rerum fortassis deterri, & ad sanjora principia reduci poterat. Inter numerum specierum tributorum referri & observari meretur lex Julia ab Augusto Imperatore lata, qua cautum erat, ut Legatorum, hereditatum, donationumve mortis causa, quæ ad alios pervenirent, pars vi- cesima ad fiscum pertinaret, referente Relfendo loc. cit. pag. 159. Hoc sane onus non iniquum vel inconveniens videatur, quandoquidem nemo lubentius, quam ob talent. cau-

causam lucrativam pecuniam conferet. Ad hanc materiam spectat quoque jus emigrationis, quod plerumque jure re-torsionis exercetur, & approbatum est per R. L. de anno 1555.  
S. W. abet x.

## SECTIO IV.

# DE POTESTATE PRINCIPIS CIRCA SUBDITORUM JURA.

*De Juribus  
Statuum  
Provinciale-  
rum.*

**H**Actenus potestatem Principis, quatenus circa legum præscriptionem, personas, & res Subditorum versatur, consideravimus; Restat igitur, ut, quoisque in jura Subditorum illa sese extendat, paucis adhuc videamus. Principalem partem subditorum constituant Status provinciales, quorum tres solent esse ordines, nimirum (1) Prælatorum, (2) Nobilium, & (3) Civitatum municipalium, qui omnes, quamvis ab ipsis Dominis territorialibus in certo dominio & feudo cum jurisdictione investiti sint, nihilominus se subjectos profiteri coguntur, & pro subditis habendi sunt, *Seckendorff's Deutscher Fürsten-Staat part. 2. cap. 1. s. 3.* & subjectionis juramento obnoxii sunt, dummodo sub Principis territorio larem foveant, *Webner. observ. pract. voce Landsässerij.* Convocari autem solent hi status provinciales, quando Princeps toti Provinciæ collectas imponit, & quidem antiquus iste mos est, ut, quando aliquid momenti in Principatu est agendum, conventus provinciales vulgo *Landsägt* instituantur, ex quibus facile colligere licet, Principatus Germaniæ olim non fuisse meros, in quos tamen hodie sensim sine sensu degenerare videntur, dum Statibus Pro-

Provincialibus in deliberationibus ad patriæ salutem insti-  
tuendis nulla fere amplius, aut exigua admodum relicta est  
potestas, & ut plurimum dicas gratia convocantur, monente  
ita *Refendō de Summa Princ.* Germ. potest. cap. ult. p. m. 237.  
quod vel ex hoc videri licet, quia in congregationibus eo-  
rum nihil fere amplius agitur, quam ut collectarum summam  
à Principe præscriptam & determinatam pro rata inter se  
dividant, & solvant; quod si vero hanc ob causam ad aulam  
Principis, vel alium ab eo nominatum locum convocentur,  
hoc non sit propterea, quod Principis voluntatem de jure  
in aliud vertere queant, sed habent tantum votum consul-  
tativum, siquidem animi omnium subditorum Principi longe  
proniores evadunt, si onus tum demum imponi vident,  
cum eminentiores è medio ipsorum propterea prius consulti  
fuerunt. Collectarum autem onus principaliter subire  
tenantur ii, quorum bona in territorio Principis sita sunt,  
ratione domicilii enim proprie quis dicitur subjectus loci,  
ein Landstasse / in quo habitat, & ibi forum sortitur, legibusque  
Ioci obligatur, & vice versa privilegiis & immunitatibus pro-  
vincialium gaudet. Dividuntur hi Nobiles in Schriftsassios,  
& Amptsassios; hi etiam coram Praefectura conveniri pos-  
sunt, illi vero Principi tantum, ejusque curiae immediate  
parent, *Reinking. de R. S. & E. lib. 1. cl. 5. cap. 11. num. 53.* qui  
igitur per longam consuetudinem vel specialia privilegia  
hoc jus sibi acquisiverunt, à Principe turbari nequeunt. Sed  
ut ad scopum revertar, Status Provinciales, ut ad comitia  
vocati compareant, à Principe cogi possunt, *Gail. de Arrest.*  
*Imp. cap. 7. num. 14.* Si autem congregati sint, in ipsis con-  
ventibus blande & benigne cum iis tractatur, ut collectas  
certò interstitio pendant, *Gail. d. tr. c. 10. num. 17.* ubi hoc  
factum erit, ad collectarum præstationem præcise tenentur,  
& in casu retardatae solutionis, non obstante eorum immu-  
nitate, executioni subjacent; Imò nonnunquam Principi  
vel Domino territoriali sub certis reversalibus certam.  
pecu-

pecuniae summam ad certum usum promittere solent, quae promissio vocatur *Lands-Tage's Bewilligung*, ejusque formula traditur ab *Ahasv. Fritsch.* in *Supplens Speidelio-Besold.* voce *Landtags-Bewilligung*. Quamvis autem, uti jam dictum est, collectarum à Principe factam impositionem recusare nequeant, probe tamen huic dispiciendum est, an pacta specialia seu recessus ad sint, quo casu ea, quae subditis & statibus specialiter à Principe in iis promissa, exacte servari debent, neque ultra eis aliquid imponere absque expresso eorum consensu potest, praesertim, cum tempore praetiti homagii istiusmodi factorum præstationem expresse promittant Principes, prout sat doctè monet *antea Landatus Seckendorff in Fürsten-Staat p. 2. cap. 4. §. 6.* E contra Principi quoque incumbit, ut superioritatem suam territorialem cum omnibus ad ipsum spectantibus regalibus in eo statu, quo ea accepit, rite conservet, & contraventientes vel obedire detrectantes convenienti poenâ coercent, *Seckendorff. tit. loc. c. 6. s. 12. seqq.* Quæ potestas eò se extendit, ut Princeps Nobilibus, licet plenaria immunitate gaudentibus, extraordinarias tamen Collectas imponere, easque executive exigere queat, *Gail. lib. 2. obser. 52. num 26.* Siquidem illa immunitas ad onera & munera solita sese tantummodo extendit, ad casus insolitos autem applicari nequit, quemadmodum is, qui casum fortuitum in se recepit, nec de insolito cogitasse intelligitur, *Gail. cit. loc. num. 27. ibique alleg. text.* Et *Dd.* & procedit hæc sententia tempore belli, quo Princeps superior subditis immunitatem servare non tenetur, siquidem illud necessitatem involvit, quæ in genere omnibus legibus derogat, omnemque immunitatem excludit, *I. I. Et. t. C. de quib. mun. nem. lic.*

**§. 11.** Potestas circa Ecclesiastica summo jure ad Summum Principem pertinet, qui custos esse debet utriusque tabulae, omnemque curam & sollicitudinem in eo collocare, ut Religionis imprimis summa habeatur ratio.

*Rein-*

*Reinking. ad R. S. & E. l. 3. s. 1. c. 1. num. 5.* Ita, ut & feriarum & festorum dierum constitutio ad supremam Principis potestatem non solum referatur in *l. fin. & alius C. de Feriis*: sed & persone Ecclesiastice ab ipso constitui debeant, siquidem Christus & Apostoli Ecclesiam, quatenus nimirum hac in vita militat, politice potestati subjecerunt, *Ad. XXV. Rom. XIII. 2. Petr. II.* Imo sine scitu Imperatorum Pontifices ordinari non possunt, *c. Agatho 21. dist. 63.* quem in finem potestas instituendi successores sedis Apostolice ab Hadriano Papâ Carolo Magno Imperatori expressis verbis adscribitur in *c. Hadriano 22. d. 63.* & Ottoni, ejusque successoribus à Leone Episcopo, servo servorum Dei, & toti Clero. *c. in Synodo 23. d. dist.* Quamvis autem Ecclesiarum privilegia & immunitates per totum fere orbem decantatae sint, attamen eas privilegiatas esse non statuimus, nisi in casibus jure expressis, imò in dubio eas Jure Communi uti dicimus. Extant vero quam plurimæ constitutiones, quibus speciali provisione ab exactiōibus & Tributis bona Ecclesiastica defenduntur, *l. 22. C. de SS. Eccl. Vasq. lib. 3. quest. illustr. 105. n. 45.* Quæstio igitur sese offert, an istiusmodi immunitatibus & privilegiis quoquo modo contravenire Principi licet? quod affirmamus, siquidem multi casus dantur, quibus summo Principi vi potestatis talia privilegia transgredi jure competit. Sic non obstante jam allegata<sup>1</sup>, *l. 22.* bona Ecclesiastica tributa solvere tenentur, si necessitas urgeat, *R. I. de 1544. §. Und zu diesem Christlichen Werke sollen auch alle Stiffter/Klöster und Capitelle.* Imo non solum contributio, sed & alienatio Ecclesiasticarum rerum propter necessitatem permitta, *l. 21. C. de SS. Eccl.* quod probatur exemplo Aſſe, Judæ Regis, qui donaria templi alienavit ad avertendum hostem, *l. Reg. XV. 18.* Sic ecclesia à munerialibus personalibus fordidis exenta est, ita, ut & de fundis suis munera sordida præstare non teneatur, *l. 5. C. de SS. Eccl.* Hæc tamen immunitas non impedit, quin ad ejusmodi servitorum præstationem Ecclesia adstringi possit, si ad propriam

expeditionem iis opus habeat Princeps, *I. neminem it. C. eod.*  
 Tunc etenim cessare debet omne privilegium prædiorum  
 Ecclesiasticorum, ex ratione, quia tales expeditiones etiam  
 in Ecclesiæ utilitatem redundant, *I. 10. ff. de R. I. Brunnem. ad*  
*d. 4. ii.* Sic possessiones Ecclesiæ metatorum immunitate  
 gaudent: quodsi vero casus necessitatis seu expeditionis Princeps  
 adsit, tum etiam hæc onera lufferre tenentur. *Tabor de*  
*metat. p. 2. c. 3. num. 9.* Siquidem Ecclesiæ competens immu-  
 nitas non extenditur ad ea, quæ publicam utilitatem respi-  
 ciunt. Sic ab extraordinariis oneribus, nimirum, quæ per-  
 sonæ principaliter imponuntur, Clerici immunes, privilegiati,  
 & exempti sunt, *I. 6. 1. 8. 9. 3. ff. de Vacat. & excus.* Hoc tamen  
 non obstante, si communis Reip. utilitas illud requirat, etiam  
 pro excubiis civitatis conferre, *Luc. do Penna in I. ult. C. de*  
*Exalt. trib. & alia tributa exsolvere tenentur. R. I. de an. 1544.*  
*§. Und zu diesem. R. I. de 1566. §. Dietweil nun xc.* Circa religio-  
 nem ipsam & ejus sacra adhuc notandum, quod illa non ad  
 jurisdictionem, sed ad jus territoriale, quod ex summa pote-  
 state provenit, pertineant, adeoque ad Principem solum spe-  
 cet, prout constantem eam esse Dd. sententiam asserit Ziegler.  
*de Jur. Maj. I. 1. c. 18. §. 6.* Ex quo prono quasi alveo fluit, quod,  
 licet Patronus Ecclesiæ quemcunque ad officium Ecclesiasti-  
 cum nominare & præsentare, *c. ult. X. de Jur. Patron.* non tan-  
 men eum suspendere, aut ab officio suo removere, salvo ma-  
 nente jure Principis, queat, *Finckelthaus. de jur. patron. c. 2. n. 2.*  
 ex ratione, quoniam hoc jurisdictionis est Ecclesiastica, que  
 ad Principis tantummodo potestatem & regimen spectat,  
*Ziegler. cit. I. § 5.* Quandocunque autem circa externa reli-  
 gionis aliquid mutare in animum venerit Principi, id quod  
 summo jure vi summae potestatis sibi vindicat, tum laudabili-  
 ter, ac prudenter aget, si non plane excludat, sed potius in  
 consilium adhibeat Ecclesiæ ministros, non, quod illi ipsi met  
 leges ferre debeant, seu absque consensu & concessione  
 Theologorum illæ non valeant, nec vim obligandi accipient;  
 sed

sed potius eum tantummodo in finem, quo materiam Ecclesiasticarum constitutionum suppeditare, &c., quid Ecclesiaz proficuum, quid minus utile sit, manifestare queant. Quemadmodum enim in causis civilibus, sicuti leges ferendae fuerint, Princeps non solum Consiliarios suos, sed & Status Provinciales & ordines convocat, ut tantummodo ex illorum ore fideliter sibi aperiatur, quousque leges illæ territorio applicari, vel reipublicæ salutares esse queant: Ita similiter propterea in nostro casu convocantur Theologi, ne quid forte statuatur, quod scandalum ex se pariat, vel usui rerum inconveniens sit, & adversum. Plura de hoc materia fusius legi possunt apud Ziegler, dict. tract. lib. I. cap. 13. 14. 15. 17. 18. 19. & 20.

*De Jure  
Munici-  
piorum.*

S. III. Sunt, qui dubitant, an jurisdictiones, praesertim vero merum imperium, difficillimam sane rem, Civitatis municipalibus relinquere, Germaniae Principatibus cenducat? Pro ratione primo intuitu non admodum iniquâ aduoentes, quod in plerisque municipiis ex sutrina, fabrica, aliquo officinis mechanicis judicia formari videamus, unde, quam ridiculè illiterati & indocti consules in pronunciandis & exequendis sententiis hodie se gerant, vix verbis exprimi possit, praesertim cum reliquorum etiam Senatorum numerus ultra malleum vix sapiat: Nihil autem turpius esse, quam Civilium controversiarum cognitionem suscipere eum, qui est legum, & Juris Civilis ignarus, prout ait Cicero de Orat. ut adeo magistratibus oppidanis æque bono consilio merum, mixtumque imperium, quam pueris acutum ferrum, tradatur, de quibus conferatur pluribus Rolfendo de Summa Principum Germanicorum potestate cap. 9. p. m. 137. & cap. 14. pag. 248. quo etiam pertinent ea, quæ tradidit Carpzon. lib. 2. Rep. Elec. 64 num. 5. justiciam in Civitatibus quandoque per boves & ignorantibus administrari, inquiens. Nos autem praedicta argumenta ejus esse roboris nō arbitramur, ut ad privationem jurisdictionis, seu patrimonialis, seu longissimo tempore acquiescent, sufficiant, siquidem Princeps vel alias Dominus territo-

rialis jus municipiis ex consuetudine immemoriali quæ situm  
caſſare non potest, Zahn. Ichnogr. Municip. c. 41. num. 24.  
cum conſuetudo tantum tollatur conſuetudine contraria  
præscripta, Gall. 2. Obs. 31. num. 5. vel pragmatice ſanctione  
Imperatoris, Auth. Omnes peregrini C. comm. de Success. adeo  
ut, si municipium, eligendi ſibi magistratum, jus scriptum vel  
non scriptum habeat, & in ejusmodi quaſi-possessione à Prince-  
pate vel Domino-territoriali, qui forte autoritatem eligendi  
prætendit, turbetur, fundatum remedium: Eti poſſideat, pro-  
fe habeat, & in possessione ſua manuteneat ſic. Zahn. Ichnogr.  
Municip. cap. 27. n. 1. Ex modo dictis conſtat, municipium  
e contraria juſ ſuum poſſe amittere, ſi illud negligat, atque ſic  
Princeps vel Superior hoc per negligentiam amifum, ſibi ac-  
commodet, Bart. in l. 1. §. hujus autem interditi n. 3. ff. ut ipſe  
derit. Rebuff. in Comment. ad Confit. Gall. tom. 3. ſit. de car. benef.  
poſſ. in prefat. n. 5. Amittit autem municipium juſ eligendi,  
(1) quando Dominus Territorialis ipſe met personam aliquam  
Civitati non-contradicenti præficit, (2) quando Consulem,  
vel Syndicum, quem tamen non conſtituerat, de facto ab  
officio removet, (3) quando liberam alias electionem po-  
enaliter prohibet, denique (4) quando electum, ut ut noto-  
rie idoneum, recognoscere non vult, ſed Civitatem potius,  
ut ipsum iterum dimittant, cogit, & quidem undiquaque  
ta centibus & metu plane ſervili atque iuſto trepidantibus  
Senatus, Civitatisque membris. Sane hoc ultimo caſu ele-  
cto contra eligentem Senatum actio injuriarum non ſolum  
comperit; ſed & Civitati per hunc actum poſſessorum, ab-  
que ulla contradictione a Domino territoriali quiete exer-  
citum, eò magis præjudicatur, quoniam nemo in malam  
ipſi partem interpretari poterat, quod jura ſua bene acqui-  
ſita tueretur, cum talis nemini injuriā inferre queat:  
Imò Senatum municipalem hōc in caſu fidem initio officii  
jurato datam ſefelliffe certum eſt, ſiquidem omnibus magi-  
ſtratum oppidanum constituentium personarum juramentis  
hanc

Hanc clausulam: *Quod jura, consuetudinesque Civitatis omni modo provirili conservare, atque emolumenta ejus, sicutib[us] posibile erit, praevenire vellat;* insertam esse, notum est; Hoc casu autem iura Civitatis valde pericitabantur, ergo vi juramenti magistratus oppidanus eò obstrictus erat, ut contra turbantem Dominum se defenderet, quod dum non fecit, Jura Civitatis late culpa, quæ dolo aquiparatur, neglexit, & amissit, neque illa recuperare valebit, siquidem vel unicus in actus quicquam Principem vel Dominum territorialem in possessione tueri valeret. Post de Summaris possebor, observ. 18. secundum 2. 3. &c. seqq;. Generosius autem agunt Principes, si oppidanis jus statuendi, eligendique Consules, Magistratus, atque Syndicos, id. quod solent, integrum relinquant: Quoniam vero, uti antea dictum est, magistratus plerumque literatum expers, irrationabili statuta facile promulgare, vel etiam plane incapaces ad regendant civitatem eligere possent, igitur Principi vi summæ potestatis territorialis incumbit, ut etiam hujus rei euram habeat, & constituat, Primo municipiis: quidem statuta condendi facultatem se non admittentrum; eadem tamen, nisi expresse a se confirmata fuerint, vim obligandi non acceptura: Secundo: Consulem regentem vel Syndicum ad officium prius admittendum non esse, quam ipsius confirmatio accesserit; siquidem Principis obligatio erga subditos etiam in eo consistit, ne ipsis iniquus vel alias indignus id consequatur muneris, per tradita: sepe jam allegati Relfendso. cit. tract. p. m. 246. & 249: Quoniam vero, uti in S. I. hujus ultima Sectionis memoria tum, etiam municipia, licet prolixa jurisdictione, mixtoque & mero Imperio gaudent, tanquam subditi consideranda veniunt, Principi autem interest, ut videat, ne hi suis concessis privilegiis & jurisdictionibus abutantur, sed potius eorum judicia ab hominibus doctis & rerum peritia claris administrantur, secundum tradita Seckendorffii vom Deutschen Fürsten Staat pars. 2. cap. 9. §. 9. num. 2. igitur prudenter aget

aget Princeps, si relicta municipiis libera qualicunque eligendi potestate, judiciis eorum, ad exemplum plerorumque Germaniae Procerum, imprimis Potentissimi Brunovicen-  
sium & Lunæburgensium Electoris, Directorem quendam, Germ. Stadt-Schulzen, Gerichts-Schulzen, Stadt-Vogti præficiat, qui non solum Interesse Principis observet, &c, ne quidquam in istius præjudicium ab oppidanis moliri queat, videat, sed etiam, ne rudium Senatorum turba ob affectus privatos, vel fortassis etiam prepter inscitiam, innocentem damnet, solum vero absolvat, prospiciat, evanque in finem, & quo lites eo breviori via dirimi possint, voto decisivo instruetus sic.

*De Juri  
bus Singu-  
lornis.*

s. IV. Jus liquidum nemiai invito posse auferri, expediti juris est: Quæritur autem, an idem quoque in Princeps obtineat, & annon is vi supremæ potestatis juribus singularum præjudicare possit? Resp. affirmando, siquidem Princeps supra jus est, & multi casus dantur, ubi Princeps alterius quæsitum auferre potest, e. gr. per legitimationem; ibi enim Princeps liberis legitimis, substitutis, aut agnatis, quibus hereditas delata est, etiam his non citatis, jus quæsitum auferit, dummodo ex certa scientia hoc faciat, & in rescripto agnatorum vel heredum, quibus præjudicatur, mentio fiat, per tradita *Alexandri Confil. 2. lib. 1. in fin.* Sic bona bannitorum potest auferre ab emptoribus, & restituere bannitis gratias, *Alexand. conf. 190. num. 13. lib. 2.* Sic potest auferre castrum subdito, vel scudatario, pro fortalito ad defensionem territorii extruendo, *Card. Tisch. præt. Concl. 680. num. 22. tom. 6. lit. P.* Sic potest revocare privilegium subdito concessum, *Alexand. Conf. 216. num. 18. & 31. lib. 2.* Imo potest tollere alicui dominium rei suæ, *Castrens. lib. 1. conf. 229. n. 2.* præsertim, quando agitur inter subditos de modico præjudio, *Alexand. l. c. num. 30, & 31. vers. quia respondet.* Prædicta tamen semper restringenda vel ad casum necessitatis, quæ nunquam legem respicit; vel utilitatis publicæ, cui pri-

privatorum commodum temper posthabendum, l. 3. c. de  
Principi. Alias Princeps jus alteri quæsitum neque de pleni-  
tudine potestatis auferre, & alteri iterum dare potest, præ-  
sertim, si ex consensu vel contractu oriatur, *Paris. cons. 19.*  
*num. 59. lib. 1.* vel de Jure Naturali vel Gentium alicui com-  
petat, per l. 2. s. 10. & 16. ff. ne quid in loc. publ. l. 28. ff. de  
*Teslam. mil. l. 40. ff. de admin. tut. c. quamvis 8. de Rescript. in 6.*  
Nisi, uti jam dictum, urgente necessitate publica fiat, & re-  
stituto saltem aliquali pretio, vel data recompensa, *Card.*  
*Tasch. pr. Cancell. 680. num. 19. lit. P. tom. 6.* alias, quando  
Dominus territorialis sine pretio dato, vel absque ulla causa  
sufficienti aliquem jure suo privat, illa potestas non hu-  
mana, sed diabolica vocatur *Roland. Conf. 69. in fin.*  
*lib. 2.*

§. V. Atque tantum de potestate Principis in su-  
bditos hac vice dixisse sufficiat: Potuisse me equidem pro-  
dignitate hujus materiæ longe prolixiorum esse, ingenuus  
fateor, verum enimvero, cum statim ab eo tempore, quo  
illustris hujus Ernestinæ facultas Juridica amplissima pro-  
summis in utroque jure honoribus rite obtinendis disputandi  
licentiam mihi tribuit, in dissertatione elaboranda brevitati  
operam dare animus fuerit; ita etiam earn arctis, quantum  
potui, limitibus includere volui. Si quæ brevius exposita,  
quæ fusi us tractari merebantur, pro humanitate tua, bene-  
vole Lector! æqui bonique consulas: Si quæ scripta sunt,  
quæ forsitan gustui tuo minus accommodata, de his benigne  
judices, probe illud: *quod capita, tot sensus,* perpendens,  
& omnia in meliorem interpretere partem: Malevolo-  
rum autem livorem, sinistrumque judicium fusque deque  
habeo.


Conclusio.

§. VI. Nos interim immensam illam felicitatem,  
qua sub potestate Potentissimi Priacipis nostri quietè frui-  
mur, mente non concipere, multo minus verbis exprimere  
vale-

Volum.

walemus, siquidem pacato Ipsius regimini, patriæ benignitatis, & clementiae potius, quam potestatis competentis nomen tribui meretur. Faxis itur Deus, ut Clementissimus ille noster Princeps, Amor sane ac deliciae humani generis, piorumque æque ac prudentum imperantium genuitum exemplar, eum Serenissima Domu Hassiaca diu diuque floreat! Faxis, ut in immortalem Cattorum laudem terror hostium esse perget! Faxis tandem, ut nos sub exoptato Ipsius regimine svaviter diu requiescamus. De cœtero Tibi, Summo Numini, pro clementissime concessis in elaboranda hac Dissertatione Spiritus Tui Sancti viribus, infinitas persolvo grates, ac ardentibus precibus te implico, velis imposterum meditationes æque ac labores meos omnipotenti nututuo eò dirigere, quo præcipue in magni Nominis tui gloriam & honorem, patriæque emolumentum vergant, mihi vero in utroque foro, & Sedi & Poli, faktares existant.

F I N I S.







Österreichische Nationalbibliothek



+Z156893609

